DE
METRORUM POLYSCHEMATISTORUM NATURA
ATQUE LEGIBUS PRIMARIIS QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS DECEMBRIS

PUBLICE DEFENDET

GUILELMUS VELKE

BRUNSVICENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

MDCCCLXXVII.

JULIO CAESARI

SACRUM.

Rem periculosae aleae plenissimam me suscipere haud ignoro scripturum cum omnino de arte metrica, ancilla philologorum nostrorum non admodum respecta satisque vexata, tum de polyschematistis metris, quae ex omnibus facile summis sunt obstructa difficultatibus, ita ut ipse G. Hermannus, cuius ingeniosae audaciae omnia cedere solebant, hanc esse regionem spissa obscuratam caligine confiteri deberet [1]), nec minus Westphalus, qui quidem magis ad veterum auctoritatem se conferre conatus est, vela aliqua ex parte contrahat. Sed absint lamentationes quae videntur. De re spinosa, quam nunc, quamquam non tam libenti animo, subii, ita disseram, ut praemissis recentiorum sententiis veterum doctrinae quam maxime me applicem eamque ad genuinas rhythmicae Graecorum artis leges ipsumque poetarum usum revocem, qua expositione si J. Caesaris commentationem, quae inscripta 'de versibus asynartetis' praemissa est indicibus lectt. Marburg. aest. a. 1864, non prorsus indigne continuasse quodammodo visus ero, non inanem operam me navasse putabo.

---

[1]) In recensione Gepperti dissertationis infra laudandae inserta Jahnii annal. phil. vol. X (a. 1834) p. 249 sqq. (cf. p. 263 sqq.).

I.

Recentiorum metricorum sententiae recensentur.

Hephaestio in capite sexto decimo enchiridii sui disputandi initium sumit ab his verbis (p. 57 W.): *πολυσχημάτιστα δὲ καλεῖται ὅσα κατ᾽ ἐπιλογισμὸν μὲν οὐδένα πλῆθος ἐπιδέχεται σχημάτων, κατὰ προαίρεσιν δὲ ἄλλως τῶν χρησαμένων ποιητῶν· τούτων δ᾽ ἐπισημότατά ἐστι τάδε. Τὸ Πριάπειον, οὐ μόνον ἰαμβικῇ τῇ δευτέρᾳ χρώμενον, ἀλλὰ καὶ χοριαμβικῇ... ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν Γλυκωνείων τοιαῦτα σχήματα παραλαμβάνεται κτλ.* Polyschematismum igitur in versu priapeo et glyconeo fieri docemur, si choriambica syzygia pro diiambica ponatur, vel, ut accuratius dicam, antispasticae annectatur; atque omnino metra a poetis polyschematiste variari non quidem sine certo consilio, sed ita, ut desit certa ratio et lex, rhythmica maxime, *ἐπιλογισμός*, quam vocem scholiasta (p. 212, 14 W.) explanat verbis: *λόγος τις καὶ κοινωνία καὶ τῶν ποδῶν συγγένεια.* Afferuntur deinde metra quae dicuntur epionicum, Eupolideum, Cratineum, quae quod spondeum non justa sede admissum praebent appellantur polyschematista. — Quae scholiasta ita circumscribit (p. 211 W., codicum scriptura magis quam a Westphalo factum est servata): *πολυσχημάτιστα δὲ καλεῖται, ὅταν παρὰ τοὺς ὡρισμένους τόπους τίθενται οἱ πόδες, οἷον αἱ ἄρτιαι τοῦ ἰαμβικοῦ δέχονται σπονδεῖον ἢ δάκτυλον· ὅταν οὖν τις τῶν κωμικῶν θείη δάκτυλον ἢ σπονδεῖον ἐν ταῖς ἀρτίαις τοῦ ἰαμβικοῦ, εἴτ᾽ οὖν ἐν ταῖς περιτταῖς τοῦ τροχαϊκοῦ, τὸ τοιοῦτον λέγεται πολυσχημάτιστον*, quibus verbis addas quae paulo infra leguntur (p. 213, 22 W.): *εἶτα* (de vocabulo quod est *εἰσομένα* agitur) *ὑπερθὲν τὴν ἐν τῷ ἰαμβικῷ μακρὰν εἰς τὸ χοριαμβικὸν σχῆμα· διὸ γέγονε πολυσχημάτιστον.*

Haec iam sufficiant ad adumbrandam veterum doctri-

nam, quam quomodo acceperint recentiores videamus, antequam ad indolem horum metrorum explanandam ipsi nos accingamus. Quorum agmen ducat G. Hermannus, artis metricae sospitator, qui quidem de hac ipsa re maiore quam decere videtur licentia egit. Atque gradatim eo est perductus, ut omnino metra polyschematista agnosceret, quae semper aliqua ex parte pro ineptis veterum grammaticorum deliciis habebat ad certas leges non dignis quae revocarentur. In libro enim quem inscripsit 'de metris poetarum Graecorum et Rom.' (p. 43) polyschematistorum appellationem judicat nihil aliud indicare nisi quorundam versuum ab eo genere, quicum commune nomen habeant, differentiam; quam sententiam acerrime retinet in libello cui est titulus 'Handbuch der Metrik' [2]). Certum autem locum his metris reservatum videmus in 'Elementis doctrinae metricae', quem obtinent eundem in 'Epitome doctrinae metricae', quamquam vir ille doctus longe abest, ut veterum praeceptis cum observantia inhaereat. Appellat enim ('Elem. d. m.' p. 518; coll. 'Epit. d. m.' ed. II. p. 188) polyschematistos eos numeros, quorum hoc proprium sit, quod ex duobus vel pluribus numeris, sed non simul, constent, promiscue modo hoc recepto, modo alio, atque refert eam quam statuit permutationem ad choriambicum ionicosque numeros et ad versum glyconeum, quam quomodo in singulis fieri censeat postea accuratius videbimus, hoc loco satis erit eius verba afferre, quibus in universum quid de hac re iudicet elucebit, quae sunt ('Elem. d. m.' p. 23 sqq.; coll. 'Epit. d. m.' p. 14 sqq.): Quarta numerorum permutatio fit per transpositionem tem-

---


[2]) vid. p. 33 (coll. p. 204): 'versus polyschematisti heissen Verse die zugleich mehrere heterogene Formen zulassen. Dergleichen Verse kann es aber gar nicht geben, und diese Benennung gründet sich bloss auf einen Irrthum der Grammatiker, die durch zufällige Aehnlichkeiten verleitet gänzlich verschiedene Versarten mit einander verwechselt haben.'

poris. Ea in dactylicis invenitur iis, qui choriamborum atque Jonicorum nomen habent. Posita autem est in eo, ut pars theseos vel anacruseos recidatur, et ante arsin vel ut anacrusis, vel ut thesis collocetur. Monosyllaba anacrusis autem, itemque finis ordinis quum anceps sit, etiam palimbacchius pro amphibracho ponitur. Ita permutatio numerorum, quae in choriambo et Jonicis numeris usitata est, una est eademque: i. e. **si solas syllabas respicis**, dactylus in amphibrachum mutatur'. Polyschematista igitur ex Hermanni sententia sunt metra ionica et choriambicum, quod commutabilia sint cum aliis numeris, atque versus glyconeus (El. p. 520), sed ita demum, si diversae numerorum formae in carminibus antistrophicis sibi respondeant (El. p. 527); qua de caussa exempli gratia metrum Cratineum, quod in polyschematistis numerat Hephaestio, Hermannus ex his metris removet (El. p. 583).

Nec magis veterum vestigiis insistit Boeckhius, qui ('De metris Pindari' p. 90 sqq.) numerorum permutationem, quae conspiciatur in antispasto, choriambo, ionicis, derivat ex eodem ambitu geminatae antispasti et diiambi formae, quo ceterorum numerorum commutationem variis dissecandi modis adhibitis esse referendam censet. Perfugit igitur vir ille exquisita doctrina excellens ad veterum sententiam, quam de ἐπιπλοκῇ proferebant, ex qua copulari metra metris diversa adiectionibus vel detractionibus aut etiam translationibus videbantur [3]). Quam illustrandi rationem eandem a Mario Victorino his de metris adhiberi postea videbimus, ea autem magis similitudinem quandam intercedere inter haec metra ostendi, quam rem ipsam explanari, Boeckhius ipse videtur intellexisse, quippe qui de caussis

---

3) cf. Marii Victorini artis grammat. lib. I, 17 p. 63, 11 K; coll. p. 94, 10. Locos, quibus a veteribus grammaticis epiploce respicitur, collegit Hensius in dissert., quam inscriptam: 'De Juba artigrapho' inseruit vol. IV. Act. soc. phil. Lips. a Ritschelio edit. p. 224 sqq.

et interno quodam vinculo enucleandis omnino desperans id tantum pro certo habeat (ut ipsius verbis utar) 'his numeris, qui ex tribus constent binorum temporum partibus, substitutas esse alias formas eiusdem quidem spatii, sed diversae temporis divisionis, senis horum numerorum temporibus in binas ternorum temporum partes distributis.' Nec igitur Boeckhius obtinuit Apelii sententiam, qui numeri permutationem [4]) ita evitare conatus erat, ut choriambos, qui cum diiambis alternarent, ad hanc nostrae musicae rationem revocaret , cum nativa esset choriamborum mensura haec ; ita ut initium fiat haec metra logaoedice metiendi dactylo secundum locum illum Dionysii Halic. satis notum tribus tantum temporibus assignatis et syllabis trium brevium admissis, quae a viro illo docto eaedem ad ionicos referuntur ('Metrik' II p. XXVIII). Sed quid talibus similibusque artificiis nunc quoque satis adamatis proficiamus, non satis video, atque Apelius ipse metra polyschematista magis agnovisse videtur, quam eorum naturam explanasse, ne dicam de veterum doctrina omnino male habita; notioque, quam eiusmodi metris subiicit, satis fluctuat (cf. 'Metrik' I p. 464; 465 sqq.; 441; II p. 584 sqq.; 589; 605; al.).

Geppertus deinde, vir undique fere impugnatus, versus eo maxime fieri polyschematistos arbitratur, quod syllabae longae in mediis syzygiis vel in dipodiarum sedibus iniustis ponantur, permutationem autem choriambi et dipodiae iambicae, quae in glyconeo et priapeo reperiatur, atque antispasti et dipodiae trochaicae, quam in metro Eu-

---

[4]) Nam eam is quoque fieri censet; cf. inter alios locos 'Metrik' I p. 125, ubi leguntur verba: – 'und theilen den Vers richtig ab, ohne an das Fantom (sic) einer Veränderung des Choriamben in die iambische Dipodie, wegen seines zu gewaltsamen Rhythmus, zu denken.'

polideo deprehendere sibi visus est, cum in quibusdam tantum huiusmodi metris obvia fiat, pro re secundaria habet interdum cum spondeo non iusta sede posito coniuncta, ipsamque numerorum permutationem eo refert, quod dipodia ad syzygiae rationem sit revocata ('De versu Glyconeo' p. 1, 5 [coll. p. 32]; 'Ueber das Verhältniss der Hermannschen Theorie der Metrik zur Ueberlieferung' p. 90 sqq.). Quae num recte se habeant, infra erit videndum, hoc autem loco agnoscere debemus ardenti studio Geppertum veterum metricorum doctrinam amplecti maluisse quam errores, quemadmodum vulgo fit, ab initio iis obtrudere.

Sed iam in arenam descendant duumviri, qui recentissimo tempore uberius hanc rem tractarunt, atque quorum praecepta fundamentum quodammodo hodiernae artis metricae feruntur esse: Rossbachius Westphalusque utrum his in metris illustrandis veterum legibus cum observantia inhaerent easque diligenti ipsorum versuum contemplatione confirmare student, an vero hac quoque in re multa vendunt pro veterum praeceptis, quae ipsorum ingeniis sunt ficta? Atque sibi non constitisse Westphalum quidem, quo est mobili animo, ab initio fere coniici potest — sed videamus singula. In priore editione libri qui est inscriptus 'Metrik der griech. Dramat. und Lyriker' (vol. II, 2 ['Allgemeine Metrik'] p. 103 sqq.) Hephaestionis doctrina ita definita erat: 'Sowohl ein *ἀσυνάρτητον*, wie ein *συνάρτητον* kann ein *πολυσχημάτιστον* sein. Diesen Namen führt es, 1) wenn ein in ihm vorkommender Ditrochäus oder Diiambus der gewöhnlichen Bildungsweise zuwider ('*παρὰ τάξιν*') in der Mitte eine lange Silbe hat, oder 2) wenn ein *μέτρον μικτὸν* (*ὁμοιοειδὲς* oder *ἀντιπαθὲς*) eine Verwechselung (*ὑπερτίθεσις*!) in der Reihenfolge des Choriambus (Antispastus, Ionikus) und des Diiambus (Ditrochäus) zeigt' — quae verba prorsus eadem in prius alterius editionis volumen (p. 183) sunt recepta, quamquam altera eius definitionis pars non congruit cum iis, quae

postea de figura illa quae dicitur Sylbenhyperthesis proferuntur. Propius enim ad veterum doctrinam accedere conatus in alterius editionis volumine altero ('Metrik'² II p. 714 sqq.) eorum leges in universum quidem recte exponit, sed statim in singulis circumscribendis ingenio suo libera evagandi potestate permissa polyschematismi notionem refert primo ad spondeum *παρὰ τάξιν προςλαμβανόμενον*, qui reperiatur et in fine et in initio periodorum mixtarum, deinde ad hyperthesin quam dicit 'des kyklischen und nicht kyklischen (trochäischen, iambischen) Taktes', quam transponendi rationem ab Hephaestione solam doceri censet (p. 732), tertio ad hyperthesin syllabae longae et brevis, qua Hermanni basin abolevisse sibi videtur atque responsionem choriambi et diiambi ita explanare studet, ut dactylum commutari amphibracho statuat, cum choriambum e metris prototypis esse eiiciendum arbitretur. Quae, ut facilius intellegantur, componuntur omnia p. 745 sqq.[5]), quo tandem loco, quamquam antea suam ipsius expositionem veterum doctrinae presse adaptasse videbatur, quippe qui semper eorum leges ad suam sententiam stabiliendam laudaret, facere non potest, quin Hephaestionem eiusque scholiastam inconstantiae arguat, id quod quidem non admodum mirum videbitur, si universam Westphali veterum praecepta quoad libet in suum usum vocandi rationem respexerimus. At ne acerbe invehamur in eum virum, cuius sagaci ingenio nostra in arte quanta debeantur nemo ignorat. — Choriambi igitur, ut iam pergamus, et diiambi responsionem Westphalus ad commutationem dactyli et amphibrachi referendam esse censet; sed quomodo ionicorum permutatio explanatur, quam fieri Hermannus, Boeckhius, alii statuerant? Num Westphalus eam omnino negat? Minime, sed doctrinae, quam excogitavit,

---

[5]) Tertiam denique doctrinam non plane congruentem protulerat Westphalus in commentatione, quam inscriptam 'Die Tradition der alten Metriker' inseruit Philologi vol. XX (p. 76—108 et p. 238—274; cf. maxime p. 246 sqq.)

cum haec metra non possint subiici, satis in angustias compellitur, ita ut hac de caussa fortasse in editione altera ea omnino neglexerit. Repetita quidem sunt (I p. 690 sqq.) ex priore editione (I p. 156 sqq.; II, 2 p. 554 sqq.; III p. 290 sqq.) quae in universum erant prolata, composita autem inquisitio singulorum metrorum prorsus est omissa, id quod, nisi meliora forent oblata, non admodum erit dolendum. Permutationem enim ionicorum et ditrochaei revocat ad *μεταβολὴν κατὰ λόγον ποδικόν*, quae nostrae musicae hoc modo accomodatur:

3/4 — — ∪ ∪ | 6/8 — ∪ — ∪ | 3/4 — — ∪ ∪ | — — ⩘

ad quam rationem ut ionici a minore quoque referri possint, derivantur ab ionicis a maiore anacrusi duarum brevium praemissa:

∪ ∪ | 6/8 — ∪ — ∪ | 3/4 — — ∪ ∪ | 6/8 — ∪ — ∪ | 3/4 — —.

Num vero ita quidquam omnino explanatur? Cur enim haec mutatio fit, non alia, cur ionici ditrochaeum excipiunt, diiambum choriambus? Quae subsit interna ratio, isto modo minime intellegitur, sed metra qualia apparent adhibita in schema aliquod coguntur; ne dicam de Hephaestionis loco (p. 38, 2 W.) allato quidem, nequaquam vero curato.

Sed singula ad alium locum sunt differenda, iam parco tenore adiungamus, quomodo recentissimo tempore ab aliis viris doctis, quorum plerique magis *ἐν παρέργοις* de iis egerunt, metrorum nostrorum indoles sit intellecta, J. Caesaris sententiae, unde mihi ipsi proficiscendum erit, loco posteriore reservato. Atque Dindorfius num omnia, quae veteres grammatici de his numeris docent, absurda esse arbitretur, non satis patet, certe sententiam, quam proferunt de metro epionico polyschematisto, hac ipsa appellatione adornat ('De metris poetarum scenic.' p. 57), quamquam ipsa metra, qualia describunt veteres, ut agnoscat cogitur. Multo autem magis mira sunt, quae J. H. Henricus Schmidtius de his numeris docet, quae equidem, ut artis musicae non satis peritus, assequi non potui; nam postquam polyschematismi notionem ita definivit ('Die

Kunstformen der griechischen Poesie' IV p. 441 sqq.): 'Polyschematismus oder Formenwechsel findet ebensowohl bei fortlaufenden Versen als in gegenstrophischer Responsion statt; aber die verschiedene Gestalt der Sätze in derselben Strophe ist eine durchaus nicht analoge Erscheinung', in iis quae sequuntur multa affert, quae quo iure hoc loco exponantur non satis liquet; atque adeo in hexametro et trimetro iambico polyschematismum deprehendere sibi videtur. Quam doctrinam prorsus omittamus ut nimis arbitrariam et veterum praecepta minime curantem; addi fortasse poterit a viro illo permutationem numerorum ipsam referri ad mutationem quam dicit 'im Taktrhythmus' (l. l. I p. 129), multumque tribui hac in re illustranda ictus diversae collocationi, qua praeter alios Brambachius quoque ('Metrische Studien zu Sophokles' p. 41; coll. p. 86) Hermanni basin evitare studet, ceteroquin hac in re Westphali maxime sententiam amplexus, cum syncope, quo vocabulo veterum ὑπέρθεσιν τῆς συλλαβῆς significat, responsionem iambi et trochaei, amphibrachi et dactyli, quae in metris logaoedicis reperiatur, explanare conetur choriambico metro cum viro illo reiecto ionicisque omnino non respectis.

Brillius deinde ('Aristoxenus rhythmische und metrische Messungen' p. 62) permutationem numerorum polyschematismo effectam eo expediri immo evitari censet, quod syzygiam sex temporum facit constantem ex temporibus irrationalibus ingredientemque per rhythmum quem dicit '2/4 Takt'.

Restat denique, ut Christium uno quidem verbo attingam, virum metricae artis nunc sine dubio peritissimum in rhythmica autem, ut videtur, interdum recentioribus nimium concedentem. Atque nostrorum metrorum naturam definiendam aliqua ex parte devitat, ita ut notio polyschematismi, si quidem omnino haec metra certis finibus circumscribi posse censet, nimis sit ambigua, utpote cui licentiae aliunde non enodandae subiiciantur (cf. 'Metrik'

p. 502, de comicorum licentiis; p. 509, de ion. a mai.; p. 536, de basi; p. 519, de metris anaclomeno cognatis; al.). Sine dubio quidem ipse poetarum usus, ad quem Christius confugit despecta veterum doctrina ('Metrik' p. 92), primo loco est respiciendus, sed semper videndum erit, num metricorum praecepta accurate explanata poetarum usu refutentur; certe iis, quae ad eiusmodi mutationem numerorum illustrandam a Christio afferuntur, nihil explanatur, sed singula metra simpliciter in tabulam referuntur.

Haec fere sunt, quae, ut appareat quae a recentioribus sit intellecta indoles metrorum polyschematistorum, afferenda sunt visa, nimis longe fortasse exposita, sed necessaria, ne in ipsa disputatione iterum atque iterum diversae sententiae sint perstringendae. Singulas autem opiniones si animo perlustraverimus, facile patebit veterum doctrinam a recentioribus non admodum esse respectam, immo paucos eorum ad veteres omnino accessisse, quos erroribus et schematismi (ut hanc vocem adhibeam) studio non vacare ad unum omnes consentiunt. — Polyschematismi igitur notio, ut doctrinam hodiernam complectar, inde ab Hermanno plerumque refertur ad permutationem choriambi et diiambi atque ionicorum et ditrochaei et ad varias versus glyconei formas, quam sententiam Westphalus quoque, si ab ionicis discesseris, in universum quidem obtinet, in singulis autem veteres magis secutus ipsi syllabae transponendae atque spondeo iniusta sede admisso plus tribuit, quam ab Hermanno erat factum — id quod quomodo sit intellegendum paucis iam indicatum est saepiusque erit respiciendum.

II.

Veterum metricorum de numeris polyschematistis doctrina ad universae artis rhythmicae leges revocatur.

Non satis certo definita esse Hephaestionis et scholiastae verba, quae supra attuli, ex recentiorum dissensu apparet, sed videamus, num notionem, quae subsit metris polyschematistis, ex iis quae praeterea exponuntur accuratius circumscribere possimus. Exemplorum igitur primum Hephaestio affert metrum priapeum *οὐ μόνον ἰαμβικῇ τῇ δευτέρᾳ χρώμενον, ἀλλὰ καὶ χοριαμβικῇ*, quod si fiat (nam sic, si ipsa metra respicimus, erit intellegenda vox quae est *καί*), priorem partem, quam pro antispasto habent veteres, interdum (*ἔσθ᾽ ὅτε*) exire in spondeum contendit, *ἐάν τε ἀπὸ ἰάμβου ἄρχηται, ἐάν τε ἀπὸ τροχαίου, κατὰ τὸ δεδογμένον*[6]), *ἐάν τε ἀπὸ σπονδείου*. Quod in versu glyconeo fieri idem addit exemplis allatis, quae diiambum choriambo mutatum exhibent omnia, ita ut et tribrachus in initio et spondeus in fine antispasti positus res sit secundaria, quae insuper accedit. Sed hac in re aliquantillum moremur, cum Gepperto maxime spondeo illo polyschematista fieri metra sint visa, et Westphalus polyschematismi notionem etiam ad *σχήματα τοῦ δισυλλάβου* (schol.

---

[6]) Non satis video, cur et Gaisfordus I p. 108, 8 edit. II. et Westphalus p. 57, 18 in editionibus suis Hephaestionis pro scriptura codicis optimi Cantabrigiensis (C), quae est *κατὰ τὸ δεδογμένον*, receperint quod deteriores libri praebent *δεδομένον*, sed per se fere patet cum J. Caesare ('Emendationum Hephaestion.' II p. 20 praemiss. indd. lectt. Marburg. hib. a. 1869/70) retinendam esse codicis C signati scripturam, cum respiciatur forma antispasti, quae a justo ordine maxime recedat; praeterea autem iis verbis significari videtur eam formam (scil. trochaicam), quamvis non sit nativa, usu ita esse sancitam — quemadmodum re vera factum videmus — ut magis quam principalis sit usurpata.

Heph. p. 183, 25 W.) prioris antispasti qui perhibetur partis referat, ut basis quae dicitur evitetur; id quod utrumque Hephaestio non docet. Nam si spondeus ille pro re primaria esset habendus, sine dubio exempla allata essent, quae eum exhiberent omnia; sed primum quod laudatur ea tantum de caussa est polyschematistum, quod transpositam syllabam praebet, idemque cadit in versus glyconeos allatos, quorum ultimus, in quo spondeus eo loco reperitur, verbis *ὧδε καὶ τόδε* maxime ut emineat fit; nec magis varias formas, quas admittit antispasti caput, hac in re respici et verba Hephaestionis supra allata ostendunt et tribrachus exemplorum quattuor laudatorum nude notatus, quo insoliti nihil contineatur. — Afferuntur deinde ab Hephaestione Corinnae versus, qui, quamquam summopere sunt dubii, tamen eandem syllabae traiectionem exhibere videntur; nec vero sunt glyconei, quales vulgo intelleguntur, praesertim cum introitum iis paret Hephaestio verbis: *ἔτι δὲ καὶ πλείοσιν αὕτη* (scil. *Κορίννα*) *κέχρηται σχήμασιν* [7]).

---

[7]) Hermannus ('Elem. d. m.' p. 522) in glyconeorum schema eos versus cogit sententiae suae, quam de polyschematistis eorum formis exhibet, subjectos, scribit enim:

δούρατος ὥστ᾽ ἐφ᾽ ἱππίω
κάρτα κε βρεμόμενοι πόλιν
διεπράθομεν ἀπροφανές·
γλούκου δέ πού τις ἀοιδιῶν
. πελεκέεσσι δονεῖτ᾽ ἄν.

Bergkius autem (in editione III. poetarum lyricorum Graecorum vol. III., p. 1209) codicum quidem scripturam magis servat, sed prorsus videtur neglexisse, quonam loco et ad quem finem ii versus ab Hephaestione afferantur. Omnino vero haec exempla qualia traduntur et ex parte a scholiasta circumscribuntur retinenda erunt una tantum voce transposita:

δούρατος ὥστ᾽ ἐφ᾽ ἵππω.
κατὰ μὲν βριμούμενοι.
πόλιν δ᾽ ἐπράθομεν.
προφανὴς Γλούκου δέ τις.
ᾄδων πελέκεσσι δονεῖ (*ΤΔΔ* . . .).

Versus igitur nec inter se cohaerent nec integri sunt allati, sed

Postremo in metris polyschematistis numerantur epionicum, in quo inesse addit Hephaestio *ἀταξίαν πολλήν, τὴν τοὺς σπονδείους ἐπὶ ἀρτίους χώρας ἔχουσαν τῶν ἰαμβικῶν συζυγιῶν*, Eupolideum, *ἐν ᾧ τὰς τροχαϊκὰς παρὰ τάξιν ποιοῦσι δέχεσθαι τὸν σπονδεῖον*, Cratineum, de quo Hephaestio alio loco (cap. XV p. 55, 15 W.) haec profert: *πολυσχημάτιστον δὲ αὐτὸ πεποιήκασιν οἱ κωμικοί. Τοὺς γὰρ σπονδείους τοὺς ἐμπίπτοντας ἐν τοῖς ἰαμβικοῖς καὶ τοῖς τροχαϊκοῖς παρὰ τάξιν παραλαμβάνουσιν ἐν ταῖς μέσαις συζυγίαις, τῇ τροχαϊκῇ καὶ τῇ ἰαμβικῇ. Εὔπολις δὲ ἐν τοῖς Ἀστρα-*

---

eam tantum praebent partem, qua variatio syllaba transposita effecta continetur; quorum condicio ut plane intellegatur, haud scio an de quibusdam sit statuendum respondisse formas mutatas quae afferuntur nativis quae perhibebantur. Atque primus versus praebet syllabam choriambi alterius priorem brevem ante longam positam (— ∪ ∪ — ∪ — ∪), id quod infra accuratius erit exponendum; in altero deinde et quarto eadem syllaba transposita conspicitur ionicis a minore (∪ ∪ — ⏑̄ — ∪ —), ubi ut agnoscam syllabam ancipitem, commoveor quarto versu, qui eodem loco, quo alter exhibet productam, ostendit correptam syllabam (schol. Heph. p. 214, 12 W., collata Ahrensii libri 'de dialectis Aeolicis et pseudaeolicis' p. 180 annot. 5). Tertius deinde versus, quomodo sit exarandus, dubitationem omnino movere non potest, cum ad ipsa verba tradita scholiasta annotet (p. 214, 18 W.): *καὶ ταῦτα ἀντισπαστικὰ δίμετρα βραχυκατάληκτα πολυσχημάτιστα· ὁ γὰρ πρῶτος ἀντίσπαστος, ἄνω στρέψας τὸν τελευταῖον τροχαῖον* (∪ — — ∪ — ∪ = ∪ — — ∪ ∪ —), *πεποίηκε καθαρὸν χορίαμβον, τοῦ πρώτου ὄντος τροχαίου· ἡ δὲ ἀπόθεσις ἀντισπαστική. Τὸ δὲ 'πόλιν δ' ἐπράθομεν' ἀντίσπαστος καθαρὸς καὶ ἴαμβος*, quibus verbis ultimis, quamquam in ceteris unum tantum est dilucidum, scilicet syllabam transponi, respicitur doctrina illa, ex qua inter antispastum et diiambum necessitudinem quandam intercedere statuebatur, cuius legis de ionico laesae exemplum praeberi videtur versu ultimo (— — ∪ ∪ — ∪ ∪ —), quamquam de eo summopere dubitari potest, praesertim cum scholiasta legerit *πελέκεσιν δονεῖται*, ita ut easdem quas in altero versu partes ponat. — Sed singula satis sunt dubia, quibus in ipsa expositione non innitar.

τεύτοις καὶ ἀτακτοτάτως συνέθηκε τὸ εἶδος κτλ., unde fluxerunt scholiastae verba (p. 215, 8 W.): *καὶ ἐν ταῖς ἰαμβικαῖς τοίνυν καὶ ταῖς τροχαϊκαῖς παρὰ τάξιν τιθέντες τοὺς σπονδείους πολυσχημάτιστον αὐτὸ ποιοῦσιν*, quae metra spondeus non recta sede admissus solus Hephaestioni quidem polyschematista reddere videtur, quem semper transpositione syllabae oriri infra exponemus.

Simpliciter igitur singula metra ab Hephaestione enumerantur, quae polyschematista esse censet, interno quodam vinculo, quod inter singula exempla intercedat, non addito nec omnino, ut videtur, intellecto. Quod idem fere dicendum est de scholiastae annotationibus, quamquam apud eum principii cuiusdem umbra quidem fit conspicua, quippe qui duo metrorum polyschematistorum genera distinguat verbis (p. 212, 5 W.): *ἔδει δὲ πάλιν μετὰ τὰ ἀσυνάρτητα περὶ συγκεχυμένων εἰπεῖν καὶ ἑξῆς περὶ ἀπεμφαινόντων· συγκεχυμένον δέ ἐστιν, ὅταν συζυγίᾳ τινὶ ἑτέρα συζυγία ἐναντία ἐπιφέρηται· ἀπεμφαίνοντα δέ, ὅταν ἔν τινι μέτρῳ κακῶς, τουτέστι παρὰ τόπον, κεῖται πούς, οἷον εἰ ἐν ἰαμβικῷ εὑρεθείη ἐν ἀρτίᾳ βάσει σπονδεῖος ἢ ἐν τροχαϊκῷ ἐν περιττῇ· τότε γὰρ τοῦ ὅλου μονοειδοῦς ὄντος μία μόνη χώρα ἐστὶν ἀνώμαλος.* Vocabulo igitur quod est *συγκεχυμένον* complectitur eas syzygias, quae *συμπάθειαν* non habent, quam veteres docent iambis intercedere cum antispastis et choriambis, cum ionicis trochaeis. Inter antispastum igitur et choriambum eam necessitudinem non agnoscunt, qua de caussa formam versus glyconei mutatam *ἀσυνήθως τῷ ἀντισπαστικῷ ἡ δευτέρα χοριαμβικὴ πολυσχημάτιστον ἐποίησε*[8]) (p. 214, 15 W.); praeterea maxime metra quae dicuntur epionicum et Eupolideum nomine *συγκεχυμένων* significantur, cum diiambum ionico a min. et choriambo ditrochaeum praemissum praebeant; vox autem *ἀπεμφαίνοντος* ad metrum Cratineum referenda videtur,

---

[8]) Retinenda est cum J. Caesare ('Emendatt. Hephaest.' II p. 13) codicum scriptura a Westphalo iniustis coniecturis tentata.

cuius *μία μόνη χώρα ἐστὶν ἀνώμαλος* syzygiis cognatis quae videbantur coniunctis. Ipsi autem spondeo in fine antispasti versus glyconei polyschematisti usurpato scholiasta ad hoc metrum polyschematistum reddendum plus quam Hephaestio tribuit (p. 213, 8 W.); sed utut de universa eius explanatione et descriptione iudicatur (quae quomodo discrepet ab iis maxime quae Mar. Vict. III, 3 p. 105 K. profert, hoc loco non est curandum), scholiastae quoque metra eo polyschematista fieri videntur, quod aut spondeum non iusta sede admissum aut syllabam transpositam exhibent (cf. p. 212, 24; 213, 22 W.). —

Profecto, parum circumscripta, ne dicam desperanda fere, primo quidem obtutu videtur esse doctrina veterum [9]), quippe qui schemata metrorum, qualia obvia fiebant apud poetas, nuda notent *ἐπιλογισμῷ* aut principio ullo, quo singula sint referenda, non proposito, neque quidquam de responsione variarum formarum addant, nisi conceduntur ea quae supra (p. 13 annot. 7) de Corinnae versibus admodum dubitanter exposui. At sola responsione antistrophica polyschematista metra fieri conspicua Hermannum aliosque recentiorum arbitrari supra vidimus! Id quod quidem non satis recte est dictum, attamen ipso poetarum usu cogimur, ut aliunde nobis paremus adiumenta et aperiamus fontem, quo singula sint reducenda, atque unde praecepta veterum metricorum videantur emanasse; quod ut fiat, satis alte res erit repetenda, quam antequam ipsam aggrediar, in universum moneo me paucis tantum locis

---

[9]) Grammatici Latini de his metris ipsis omnino non agunt, quamquam Marii Plotii verba (XI, 11 p. 545 K.) quae sunt: 'asynarteta metra, id est inconvenientia, fiunt modis duobus: aut cum pes in aliquo metro non suo loco ponitur, ac (scribendum erit 'aut') si quis in iambico metro spondeum pedem secundo vel quarto loco ponat' non ad asynarteta, sed ad polyschematista metra sunt referenda; similemque confusionem deprehendimus in scholio ad Aristoph. Av. v. 960, ubi verba exstant: *οἱ ἑξῆς δύο ἀσυνάρτητοι παντελῶς καὶ πολυσχημάτιστοι ἀτάκτους τοὺς πόδας ἔχοντες.*

sententias discrepantes respecturum esse, cum de nulla fere re neque in rhythmicis neque in metricis recentiores consentiant.

Atque inter Hephaestionis exempla enumerantur metra quae dicuntur epionicum et Cratineum, in quibus ionicus a minore et choriambus integri deprehenduntur coniuncti cum dipodia iambica aut in initio aut in fine posita, quae metra ansam nobis praebeant de eiusmodi metrorum coniunctione accuratius disserendi. *Μικτοὶ δὲ (τῶν ῥυθμῶν εἰσιν) οἱ ποτὲ μὲν εἰς χρόνους, ποτὲ δὲ εἰς ῥυθμοὺς ἀναλυόμενοι, ὡς οἱ ἑξάσημοι*, Aristidis Quint. sunt verba (p. 32 W. [10]), p. 36 Meib.), syzygias igitur quadrisyllabas, ionicos, choriambum, antispastum, ita dissolvi atque variari posse docemur, ut singula tempora i. e. pedes, ex quibus constare perhibentur, fiant conspicua, id quod, ne ipsam doctrinam summopere in controversia versantem, sed usum tantum hoc loco respiciam, non fit, si metrorum compositionem contemplamur, nisi ita, ut syzygia eo modo soluta integrae innectatur, unde, ne longus sim, veterum doctrina de mixtione quae fiat *κατὰ συμπάθειαν* aut *κατ᾽ ἀντιπάθειαν* est derivanda, ex qua, ut repetam quae satis sunt nota, ionicis cum ditrochais, cum diiambis choriambis et antispastis maiorem necessitudinem intercedere arbitrabantur. *Κατὰ μῖξιν τοὺς ῥυθμοὺς ἀλλήλοις συμπλέκομεν*, idem Aristides (p. 40 W., p. 43 M.) profert, quae *συμπλοκή* fit in ionicis ex veterum sententia ditrochaeis admixtis, id quod quomodo re vera fieri censeant, ipsi doceant. Atque Hephaestio eam mixtionem ita describit (p. 37, 20 W.): *τὸ δ᾽ ἀπ᾽ ἐλάσσονος ἰωνικὸν συντίθεται μὲν καὶ καθαρόν, συντίθεται δὲ καὶ ἐπίμικτον πρὸς τὰς τροχαϊκὰς διποδίας οὕτως, ὥστε τὴν πρὸ τῆς τροχαϊκῆς ἀεὶ γίνεσθαι πεντάσημον, τοῦτ᾽ ἔστι τρίτην παιωνικήν, καὶ τὴν τροχαϊκήν, ὁπόταν*

[10]) Laudo editionem scriptorum rhythmicorum, quam Westphalus editionis alterius libri sui volumini alteri affixit additis paginarum numeris editionis Meibomianae, cum Westphalus rhythmicorum scripta non integra praebeat.

προτάττοιτο τῆς ἰωνικῆς, γίνεσθαι ἑπτάσημον τροχαϊκήν, τὸν καλούμενον δεύτερον ἐπίτριτον, cui expositioni conferenda sunt Aristidis verba (p. 55 Meib.): *τὸ δ' ἀπ' ἐλάσσονος μετρεῖ μὲν ὁ πούς ὁ ὁμώνυμος· πολλάκις δὲ καὶ ὁ διτρόχαιος. ὃν ὅταν παραλαμβάνωμεν, τὴν προκειμένην διποδίαν τρίτον παίωνα ποιοῦμεν, ἵνα μὴ τριῶν ἐφεξῆς μακρῶν κειμένων σκληρὸν γένηται τὸ ποίημα*, quam doctrinam Hermannus ('Elem. d. m.' p. 464) atque Rossbachius Westphalusque ('Metrik'[1] III p. 297) falsam esse putant, qui quomodo hanc rem omnino intellegant, in proximo capite accuratius erit exponendum. Ditrochaeum igitur deprehendere sibi videntur veteres admixtum iŏnico hoc in metro ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ — —, sed magis, quemadmodum videtur, ut omnino certum pedem ponant; nam qualem horum metrorum connexorum veram naturam esse censeant, ex ipsorum explanatione apparet. Nec enim re vera uni ionico annectitur ditrochaeus, sed proficiscuntur ipsi veteres hac in re a duobus ionicis coniunctis atque ita variandis, ut iisdem temporibus servatis in unum coalescant ambitum, qua de caussa nativa forma mutatae respondere potest, cum idem *μέγεθος* utraque contineatur. Atque recentiores omnes fere cum ad artificia postea perstringenda, quibus nihil proficimus, perfugerint, J. Caesari veterum doctrinam presse amplexo vera huius rationis cognitio debetur, qui ('Die Grundzüge der griechischen Rhythmik' p. 179; coll. N. Jen. Lit. Ztg. a. 1844 p. 853) ad syzygias duas connexas varieque formatas, ad *ῥυθμὸν δωδεκάσημον*, originem metrorum polyschematistorum refert, id quod quo iure etiam de choriambo cum diiambo coniuncto dicatur, postea videbimus, de ionicis autem hanc rationem ipsi veteres testantur. Quo enim modo, nisi hoc conceditur, Hephaestio anaclomenum ita dispertire potest, ut prior pars quinque, altera septem tempora contineat; et quanam alia ratione intellegemus scholiastae verba haec (p. 194, 7 W.): *ἰστέον δὲ ὅτι τὸ ἀνακλώμενον μέτρον τοιοῦτόν ἐστιν ὡς ἰωνικὸν εἶναι τὸ ἀπ' ἐλάσσονος τὸ ααβαβαββ*, et quae sequuntur

(p. 195, 3 W.): *ἀνακλώμενον δὲ καλεῖται τὸ μέτρον διὰ τὴν ποιὰν τοῦ μέτρου συμπάθειαν· ἡ γὰρ τελευταία τῶν προτέρων ποδῶν ἀνακλᾶται τῇ ἀρχῇ τῶν δευτέρων διὰ τὸ ἐν ὀρχήσει ἀνακλασμὸν μελῶν γίνεσθαι?* Quibus addas quae afferuntur p. 201, 4 W.: *ἡ γὰρ τελευταία τῆς δευτέρας* (scil. alterius prioris ionici partis) *ὀφείλουσα εἶναι μακρά, βραχεῖά ἐστιν· ἡ δὲ πρώτη τῆς τρίτης ὀφείλουσα βραχεῖα εἶναι, μακρά ἐστιν, ἥτις ἀνακλᾶται ἐπὶ τὴν πρὸ αὐτῆς συλλαβὴν καὶ κατὰ ἀντιστροφὴν νοεῖται* (cf. p. 195, 17 W.). Afferri possunt etiam Marii Victorini verba (II, 8 p. 93 K.), quamquam iis intima colligatio magis respicitur, quam ipsa eius natura explanatur, sunt enim haec: 'Huius modi autem inter se *συζυγίας* passionem sive communionem musici *ἀνάκλασιν* vocant et metra, si qua forte adverterint talia, anaclomena appellant, quod retrorsum inclinentur, et in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur . . . Nam detractum unum tempus sequentis syzygiae ex initiali syllaba huic impertietur, ne fiat prima syzygia pentachronos, sequens heptachronos.' In iis quae sequuntur anaclasis quae dicitur satis mire quidem illustratur, attamen Marii expositio semper vertitur in duobus ionicis quam artissime tempore aliquo anaclasi translato connectendis. *Ἐπιπλοκῇ* autem, ad quam ab eo omnes hae mutationes referuntur, nihil explanari, sed similitudinem tantum quandam horum metrorum ostendi supra iam indicavi.

Ut igitur recte intellegatur et veterum doctrina et anaclomeni vera natura, syllabam esse transpositam, quo maxime polyschematismi notionem ab Hephaestione eiusque scholiasta revocari vidimus, in ionicis a minore est statuendum hoc modo: ⏑ ⏑ –̋ ⁀–́ ⏑ ⏑ –̋ –́ = ⏑ ⏑ –̋ ⏑ –́ ⏑ –̋ –́ (de ictuum distributione infra videbimus), qua ratione eadem ionicorum a maiore ditrochaeis commutatio (–́ ⁀–̋ ⏑ ⏑ –́ ⁀–̋ ⏑ ⏑ = –́ ⏑ –̋ ⏑ –́ ⏑ –̋ ⏑) explanari debebit, de qua *μίξει* scholiasta (p. 190, 26 W.) dicit: *ὅπως οὖν κρᾶσίς τις γένηται, συν-*

ἦλθον τοῖς ἰωνικοῖς τὰ τροχαϊκά (coll. Hephaestionis verbis p. 37, 12 W.).

Metrum autem epionicum quomodo inversam hanc rationem exhibeat, infra erit videndum, nec minus alio loco syllaba interposita qua de caussa anceps sit exponam.

At etiam choriambus et diiambus antistrophice sibi respondent, immo cum dimetro choriambico alternare potest choriambus cum diiambo coniunctus, quomodo hanc rem explanabimus? Atque Hephaestionis scholiasta (p. 190, 27 W.) comparat choriambi et diiambi mixtionem cum ionicorum mutatione his verbis: *ἅπαξ δὲ τῶν διτροχαίων ἐμπεσόντων εἰς τὰ ἰωνικά, τοῖς ἀντιπαθέσι τῶν ἰωνικῶν συνῆλθον αἱ ἰαμβικαὶ διποδίαι, φημὶ δὴ τῷ ἀντισπαστικῷ καὶ χοριαμβικῷ*, et id quidem suo iure. Fundamentum enim totius rei hoc quoque in metro positum esse in duabus syzygiis coniunctis J. Caesar recte intellexit, ita ut eadem syllabae transponendae ratio fiat obvia quae est in ionicis: –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ = –̋ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –̋ ⏑ –́. Sic enim tantum explanatur, cur diiambo, non fortasse ditrochaeo, choriambus mutari possit, ipsoque poetarum usu docemur non diiambum respondere choriambo, sed dimetro choriambico puro diiambum choriambo annexum. Atque Aristides (p. 35 W., p. 37 M.) ipsas has formas

– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – et ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ –,

quas dicit *ἴαμβον ἀπὸ τροχαίου* et *βακχεῖον ἀπὸ ἰάμβου*, pro uno habet rhythmo [11]), cum eas referat ad *ῥυθμοὺς συνθέτους κατὰ περίοδον δωδεκασήμους*, quae doctrina in

---

[11]) Qua de re hoc loco satis erit monstrasse J. Caesaris 'Grundzüge' p. 188 et Christii commentationem, quam inscriptam 'Die metrische Ueberlieferung der pindarischen Oden' inseruit libro 'Abhandlungen der bayer. Akademie der Wissensch.' class. philos.-philol. vol. XI, 3. p. 129 sqq. (cf. p. 179 sqq.); conferenda est eiusdem dissertatio inscripta 'Beiträge zur Metrik der griechischen Lyriker und Dramatiker', quam reperies in 'Sitzungsberichte der b. Akad. d. W. zu München' an. 1869, I p. 441 sqq. (maxime p. 464 sqq.; p. 494 sqq.).

sequentibus accuratius erit exponenda. Nec vero choriambi et diiambi copulationem tam artam esse, quam quae fit in ionicis, eo comprobatur, quod diiambus priorem quoque locum tenere potest et ita quidem, ut dimeter choriambicus purus respondeat formae hoc quoque modo variatae. Qua diiambi collocatione sententia, ex qua metra polyschematista originem ducunt a duabus syzygiis connexis, minime infringitur. Nec enim, si statueretur ionicos in ditrochaeum et choriambum in diiambum re vera abire, inversio ista ferri posset, nisi explanationem omnino desperare vellemus; quo enim modo, nisi pedum illorum et syzygiarum (ut iam sic distinguam) ratio eadem esset rhythmica, ea inter se commutari possent, cum choriambus arsi, diiambus thesi intret? Contra facile intellegitur, quomodo poetae varietatis studio commoti hanc licentiam sibi permiserint, si eam, quam re vera esse etiam diaeresis plerisque locis post ancedentem diiambum facta testatur, pro ludentis fere dixerim artis metricae specie habemus, ita ut divisio quidem diversa sit, ipsa ratio rhythmica non mutetur.

Nec aliter iudicandum erit de versu glyconeo, eodem *συνθέτῳ κατὰ περίοδον δωδεκασήμῳ*, in quo veteres antispastum et diiambum deprehendere sibi videntur, syllaba transponenda, quemadmodum exposui, hac ratione variando:

⏓ ⏒ — ⏑ ⏑ — ⏑ — = ⏓ ⏒ — ⏑ — ⏑ ⏑ —,

quo facto *μέγεθος* quod dicitur idem manet, singulae partes varie formantur.

Nec enim varietas, quae omnibus his in metris fit, eiusmodi est, ut rhythmus ipse permutetur, sed *σχῆμα* tantum totius ordinis aliud evadat ratione rhythmica, quae ab initio ei subest, servata. De qua re consulamus ipsos veteres. Aristoxenus (Elem. rhythm. p. 12 W., p. 299 Mor.) de schemate, quod, ubi de metris polyschematistis agitur, imprimis erit respiciendum, haec profert: *σχήματι δὲ διαφέρουσιν ἀλλήλων* (scil. *ποὺς ποδός*), *ὅταν τὰ αὐτὰ μέρη τοῦ αὐτοῦ μεγέθους μὴ ὡσαύτως ᾖ τεταγμένα*, ubi vocabu-

lum quod est *τεταγμένα* Feussnerus (in editione Aristoxeni elem. rhythm. p. 24) ex Psello restituit adversantibus Westphalo ('Metrik' ² I p. 574), qui proponit *μὴ ὡσαύτως διῃρημένα* vel *ἐσχηματισμένα*, et Weilio, cui magis placet *τετμημένα* (in recensione Westphali libri 'System der antiken Rhythmik' inserta Fleckeiseni annal. philol. vol. XI [a. 1865] p. 649 sqq.; cf. p. 653), ea de caussa, quod ex Feussneri scriptura idem significetur *διαφορᾷ κατὰ σχῆμα* quod *διαφορᾷ κατ' ἀντίθεσιν*. Sed num id verum est? *ἀντιθέσει διαφέρουσιν ἀλλήλων οἱ τὸν ἄνω χρόνον πρὸς τὸν κάτω ἀντικείμενον ἔχοντες. ἔσται δὲ ἡ διαφορὰ αὕτη ἐν τοῖς ἴσοις μέν, ἄνισον δὲ ἔχουσι τῷ ἄνω χρόνῳ τὸν κάτω*, ex qua Aristoxeni definitione satis apparet, quid intersit inter utrumque *διαφορᾶς* genus. *Κατ' ἀντίθεσιν* enim simpliciter sibi opponuntur pedes, *διαφορᾷ* autem quae est *κατὰ σχῆμα* respiciuntur maxime rhythmi compositi inque primis *οἱ κατὰ περίοδον σύνθετοι*, duae igitur syzygiae coniunctae, quae unum efficiunt *μέγεθος*, cuius (*τοῦ αὐτοῦ μεγέθους*) partes, quae ab initio sunt eaedem (*τὰ αὐτὰ μέρη*), non eodem modo (*μὴ ὡσαύτως*) disponuntur (*τεταγμένα εἰσίν*); nec vero de divisione quidquam dicitur. Vocabulum autem quod est *τεταγμένα* (nec vero verterim cum Feussnero vocem *τάξεως* germanice 'Aufeinanderfolge', sed est nostratium 'Anordnung') suo loco esse positum colligi potest ex Aristidis quoque loco (p. 42 W., p. 98 M.), ubi exstant verba: *οἵ γε μὴν σύνθετοι παθητικώτεροί τέ εἰσι τῷ κατὰ τὸ πλεῖστον τοὺς ἐξ ὧν σύγκεινται ῥυθμοὺς ἐν ἀνισότητι θεωρεῖσθαι, καὶ πολὺ τὸ ταραχῶδες ἐπιφαίνοντες τῷ μηδὲ τὸν ἀριθμὸν ἐξ οὗ συνεστᾶσι τὰς αὐτὰς ἑκάστοτε διατηρεῖν τάξεις, ἀλλ' ὁτὲ μὲν ἀπὸ μακρᾶς ἄρχεσθαι, λήγειν δ' εἰς βραχεῖαν, ἢ ἐναντίως, καὶ ὁτὲ μὲν ἀπὸ θέσεως, ὁτὲ δὲ ἑτέρως τὴν ἐπιβολὴν τῆς περιόδου ποιεῖσθαι*, quibus conferri potest locus Aristoxeni (Elem. harm. p. 74 Meib.) infra laudandus. Maxime igitur conspici *διαφορὰν κατὰ σχῆμα* in metris polyschematistis equidem censeo, qua *μέγεθος* ipsum non mutari, sed singulas eius partes tantum variari

Aristoxenus docet; de qua re quid porro proferant veteres videamus. Atque idem Aristoxenus (Elem. harmon. p. 48 edit. Marquardianae, p. 33 Meib.), quamquam priore huius expositionis parte non tam ars rhythmica quam musica respicitur, haec praebet: *οὐ δεῖ δ' ἀγνοεῖν, ὅτι ἡ τῆς μουσικῆς ξύνεσις ἅμα μένοντός τινος καὶ κινουμένου ἐστὶ καὶ τοῦτο σχεδὸν διὰ πάσης καὶ κατὰ πᾶν μέρος αὐτῆς, ὡς εἰπεῖν ἁπλῶς, διατείνειν. Εὐθέως γὰρ τὰς τῶν γενῶν διαφορὰς αἰσθανόμεθα τοῦ μὲν περιέχοντος μένοντος, τῶν δὲ μέσων κινουμένων.* Id igitur, ut haec verba ad nostram rem transferam, quod amplectitur totum rhythmum vel quod toti ordini est substructum (*περιέχει*), atque indoles totius ambitus servatur, intra quem finem varietates admittuntur; *μένοντος γὰρ τοῦ μεγέθους συμβαίνει κινεῖσθαι τὰς τῶν φθόγγων* (*καὶ τῶν ποδῶν* addimus) *δυνάμεις*. Sequuntur deinde verba imprimis huc referenda quae sunt: *πάλιν ἐν τοῖς περὶ τοὺς ῥυθμοὺς πολλὰ τοιαῦθ' ὁρῶμεν γιγνόμενα· καὶ γὰρ μένοντος τοῦ λόγου καθ' ὃν διώρισται τὰ γένη τὰ μεγέθη κινεῖται τῶν ποδῶν διὰ τὴν τῆς ἀγωγῆς δύναμιν, καὶ τῶν μεγεθῶν μενόντων ἀνόμοιοι γίγνονται οἱ πόδες· καὶ τὸ αὐτὸ μέγεθος*[12]) *πόδα τε δύναται καὶ συζυγίαν· δῆλον δ' ὅτι καὶ αἱ τῶν διαιρέσεών τε καὶ σχημάτων [διαφοραὶ] περὶ μένον τι μέγεθος γίγνονται. Καθόλου δ' εἰπεῖν ἡ μὲν ῥυθμοποιΐα πολλὰς καὶ παντοδαπὰς κινήσεις κινεῖται, οἱ δὲ πόδες οἷς σημαινόμεθα τοὺς ῥυθμοὺς ἁπλᾶς τε καὶ τὰς αὐτὰς ἀεί*, quibus sunt conferenda quae exstant Elem. rhythm. (p. 10 W., p. 292 Mor.): *νοητέον δὲ χωρὶς τά τε τὴν τοῦ ποδὸς δύναμιν φυλάσσοντα σημεῖα καὶ τὰς ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γινομένας διαιρέσεις· καὶ προσθετέον δὲ τοῖς εἰρημένοις, ὅτι τὰ μὲν ἑκάστου ποδὸς σημεῖα διαμένει ἴσα ὄντα καὶ τῷ ἀριθμῷ καὶ τῷ μεγέθει, αἱ δ' ὑπὸ τῆς ῥυθμοποιΐας γινόμεναι διαιρέσεις πολλὴν λαμβάνουσι ποικιλίαν,*

---

[12]) *τὸ αὐτὸ μέγεθος*, non *αὐτὸ τὸ μέγεθος*, quod libri praebent, cum J. Caesare ('Grundzüge' p. 238) esse legendum probatur Aristoxeni loco supra allato.

nec minus quae Elem. harm. (p. 108 Marqu., p. 74 Meib.) leguntur: *γίγνεται* (scil. *ἡ κατὰ εἶδος ἢ κατὰ σχῆμα διαφορά*), *ὅταν τοῦ αὐτοῦ μεγέθους ἐκ τῶν ἀσυνθέτων συγκειμένου μεγέθει καὶ ἀριθμῷ ἡ τάξις αὐτῶν ἀλλοίησιν λάβῃ.* Quo referenda sunt etiam haec Aristidis verba (p. 50 M.): *καὶ τὰ μὲν δέχεται τοὺς ἰσοχρονοῦντας* (scil. *πόδας*), *εἰ δύναιτο τὴν αὐτῶν διατηρεῖν φύσιν· τὰ δ' οὐχί, ὅσα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν εἰς ἑτέρου μέτρου φαντασίαν περιΐσταται*, quibus addas quae habet Bacchius (p. 48 W., p. 14 M.): *ἡ δὲ κατὰ ῥυθμοποιΐας θέσιν ποιά; ὅταν ὅλος ῥυθμὸς κατὰ βάσιν ἢ κατὰ διποδίαν βαίνηται*, et ea, quae de hac re exponit Ptolemaeus (lib. II c. 6, p. 61 apud Wallisium oper. mathem. vol. III).

Eundem igitur ambitum, ut haec verba repetam, posse pedem et syzygiam esse docemur, quibus Aristoxeni verbis rationem nostram haec metra explanandi optime comprobari satis apparet; quo de loco intellegendo mecum consentit J. Caesar ('Grundzüge' p. 239) adversantibus quidem aliis, id quod non amplius curo, cum nostra explanatio et aptissima et minime arcessita quaesitaque sit. Quemadmodum igitur tacticis dicuntur *σχήματα* varii exercituum ac copiarum motus, *κινήσεις*, cum sese explicent in diversas partes (cuius vocabuli quod est *σχῆμα* usus exempla afferuntur in Thesauro l. Gr. s. v. *σχῆμα* [p. 1657]), ita *ῥυθμοποιΐα* idem *μέγεθος* varie formare potest, ut *σχήματα* induat *ποικίλα*, ipsum autem maneat idem. Variantur enim et *ποικίλα* fiunt haec metra syllabae traiectione, qua forma polyschematista oritur, minime autem *μεταβολή* quae dicitur in iis locum habet; atque libenti animo assentior Boeckhio ('De metris Pindari' p. 92) et J. Caesari ('Grundzüge' p. 204; al.), qui substitui his numeris alias formas eiusdem quidem spatii, sed diversae temporis divisionis ponunt.

Ut iam sententiam meam de metris polyschematistis breviter complectar, proficiscendum esse in iis explanandis censeo a duabus syzygiis coniunctis (ab initio quidem, nam et mutili eiusmodi rhythmi esse possunt

et aucti), atque choriamborum quidem ita variatorum, ut alter choriambus in diiambum abiisse videatur, qui re vera non est diiambus, sed pseudodiiambum fortasse eum appellare poterimus imitati Meissnerum, qui distinguit in commentatione de choriambo conscripta (quae est inserta Philologi volumini XX p. 1—24) inter choriambum et pseudochoriambum metro choriambico in universum sagacius quam verius, ut videtur, ad nostram musicam revocato; ionicorum autem ita conglutinandorum, ut tempora, quae ab initio duabus syzygiis continentur, eodem modo quo in metro choriambico, eadem serventur, atque ita forma nativa et variata sibi respondere possint; nec vero de ipsius rhythmi permutatione cogitari posse contendo. Nec minus versum glyconeum huc referendum esse iudico, qui eam admittit varietatem, ut pro diiambo, quem veteres statuunt, choriambum assumat; quamquam ratio non prorsus est eadem, cum transpositione illa in ionicis et choriambicis metris duae syzygiae coniunctae evitentur, in glyconeo autem pro diiambo choriambus ponatur, ex veterum quidem doctrina. Sed utut de ipsa glyconei mensura iudicatur, omnibus his in metris variatio fit syllaba transposita, cui Hephaestionem scholiastamque plurimum ad metra reddenda polyschematista tribui vidimus. —

At quomodo spondeus non iusta sede admissus erit explanandus, quae veteribus unica fuit caussa metra epionicum (⏒ – ⏒ – ⏑ ⏑ – –), Eupolideum (– ⏒ – ⏒ – ⏑ ⏑ –), Cratineum (– ⏑ ⏑ – ⏒ – ⏒ –), ut priorem tantum respiciam partem, in polyschematistis numerandi?

Atque equidem eadem syllabae transponendae ratione oriri eas syllabas ancipites contendo, ita ut spondeus ille semper cum priore variatione sit coniunctus; qua in re demonstranda in iisdem duabus syzygiis coniunctis fundamentum est ponendum. In dimetro enim ionico a minore et choriambico (ut iam omittam ionicum a maiore, cuius quilibet trochaeus fieri potest spondeus) ea quam exposui ratione variato alterius (ut ita dicam) membri utraque

brevis produci potest (⏑⏑–⏓–⏓––, –⏑⏑–⏓–⏓–), id quod veteres de priore syllaba simpliciter notant nihil insoliti ea in re inesse rati [13]), et id quidem suo iure de choriambis, qui iis excipere videbantur diiambum; posterioris autem syllabae productione metrum Cratineum, quod in ceteris nativam rationem maxime servavit, fit polyschematistum; — quae perturbantur omnia Hermanni scriptura *δεῦρο δή*, qua spondeum illum evitare studet exempli ab Hephaestione (p. 55, 22) et scholiasta (p. 215, 12 W.) allati quod est: *ἄνδρες ἑταῖροι δεῦρ' ἤδη τὴν γνώμην προΐσχετε.* Sed etiam in anaclomeno alteram posterioris syzygiae brevem posse produci, id quod a recentioribus negatur, postea, ubi de ionicis accuratius agendum erit, videbimus. Huius autem alterius syllabae irrationalitas ansam praebere mihi videtur spondeum non recte admissum omnino explanandi. Atque in glyconeo polyschematiste ex veterum quidem doctrina variato facile intellegitur, quomodo syllabae antispasti qui perhibetur ultimae varia mensura sit orta, ita videlicet, ut ea pars (⏒ ⏓ – ⏓ | ⏑ ...), quae detractione syllabae est debilitata, productione syllabae quae relinquitur corroboretur. Nonne autem idem in ionicis et choriambis variatis conspicitur? Quod equidem contenderim. Syllabae enim transpositione, quam statuimus, singulae partes varie disponuntur, syllabaque brevis, quae principali, ut ita dicam, loco remanet, videri poterat extenuata et orba quodammodo, cuius productione syllabam ademptam compensare studebant. Sin autem negari non potest syllabam brevem alteram diiambi, ut simpliciter sic dicam, et anaclomeni ionicique a maiore variati ancipitis esse naturae, non tam difficile erit intellectu, quomodo fiat, ut etiam syllaba interposita, quae ipsa detrahitur, variam

---

13) Inter choriambica enim metra Hephaestio enumerat hoc exemplum (p. 31, 16 W.): *οἶδα μὲν ἀρχαῖόν τι δρῶν.* inter ionica a minore (p. 40, 4 W.): *Διονύσου σαῦλαι βασσαρίδες*, ubi fortasse legendum esse *σαῦλαι αἱ βασσαρίδες* in transitu quodammodo moneo.

admittat mensuram. Demonstratur enim syllaba quae remanet ancipite non certi quidquam, quod accurate dimetiri possimus, transpositione illa syllabae choriambis vel ionicis adimi, sed partem quandam, quae est eadem *ἄλογος*, ita ut mutua quaedam ratio intercedat inter eas syllabas; id quod ipso poetarum usu comprobatur, cum utraque simul syllaba transpositione illa tacta a posterioribus demum poetis imprimisque comicis, et ab iis etiam satis raro, producatur. Irrationalitate autem earum syllabarum aliqua ex parte nativam metrorum variatorum condicionem servare studuisse poetas inde quoque colligi potest, quod prior alterius membri syllaba multo saepius quam altera producitur, ita ut maxime choriamborum longa syllaba incipientium primitiva ratio, quantum fieri potest, retineatur, id quod plerumque factum videmus in diiambo praemisso choriambo; quamquam priorem thesin semper produci non recte statuit Meissnerus (l. l. p. 12). Veteres quidem, utpote qui in syllabis, quales videbant adhibitas, nude notandis se contineant [14]), de hac ipsa ratione nihil docent, attamen ex iis, quae de syllabarum irrationalitate in universum proferuntur, huc referenda videntur esse ea, quae leguntur in fragmentis Parisinis (fol. 31, lin. 20 sqq., p. 44 W.): *ὡρισμένοι δέ εἰσι τῶν ποδῶν οἱ μὲν λόγῳ τινί, οἱ δὲ ἀλογίᾳ κειμένῃ μεταξὺ δύο λόγων γνωρίμων, ὥστε εἶναι φανερὸν ἐκ τούτων, ὅτι ὁ ποὺς λόγος τίς ἐστιν ἐν χρόνοις κείμενος ἢ ἀλογία ἐν χρόνοις κειμένη εἰρημένον ἀφορισμὸν ἔχουσα*, nec minus quae Psellus docet (§ 1, p. 18 W.): *ἡ γὰρ συλλαβὴ οὐκ ἀεὶ τὸν αὐτὸν χρόνον κατέχει... μεγέθη μὲν γὰρ χρόνων οὐκ ἀεὶ τὰ αὐτὰ κατέχουσι αἱ συλλαβαί, λόγον μέντοι τὸν αὐτὸν ἀεὶ τῶν μεγεθῶν*. Atque afferri quidem poterunt ea quoque, quae Dionysius Halic. (de comp. verb. c. 11, p.

---

[14]) Locos, quibus syllabam non iusta sede productam notant veteres (*ἀπεμφαινόντων* notioni eam subiicientes), collectos reperies apud J. Caesarem 'Grundzüge' p. 204 annot. et Christum 'Metrik' p. 100.

134 ed. Schaefer.), quamquam nimis generaliter, exponit: *ἡ δὲ ῥυθμικὴ καὶ μουσικὴ μεταβάλλουσιν αὐτὰς* (scil. *τὰς συλλαβὰς*) *μειοῦσαι καὶ αὔξουσαι, ὥστε πολλάκις εἰς τὰ ἐναντία μεταχωρεῖν*, et quae Longinus (ad Hephaest. p. 84 19 W.; coll. Mar. Vict. I, 10 p. 42 K.) habet: — *διαφέρει ῥυθμοῦ τὸ μέτρον, ᾗ τὸ μὲν μέτρον πεπηγότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρόν τε καὶ βραχὺν καὶ τὸν μετα(ξὺ) τούτων τὸν κοινὸν καλούμενον, ὃς καὶ αὐτὸς πάντως μακρός ἐστι καὶ βραχύς· ὁ δὲ ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἕλκει τοὺς χρόνους, πολλάκις γοῦν καὶ τὸν βραχὺν χρόνον ποιεῖ μακρόν*, ita videlicet, ut ipsius rhythmi indoles non mutetur; quibus verbis quantopere sint abusi recentiores, hoc loco non amplius exponendum erit.

Nec minus respicienda sunt Aristoxeni verba (Elem. rhythm. p. 11 W., p. 296 Mor.): *τὸ δὲ κατὰ τοὺς τῶν ἀριθμῶν λόγους λαμβανόμενον ῥητὸν τοιοῦτόν τι δεῖ νοεῖν, οἷον ἐν τοῖς διαστηματικοῖς τὸ δωδεκατημόριον τοῦ τόνου καὶ εἴ τι τοιοῦτον ἄλλο ἐν ταῖς τῶν διαστημάτων παραλλαγαῖς λαμβάνεται*, et audiri quidem potest Euclides quoque (Introd. harm. p. 9): *ῥητὰ μὲν οὖν ἐστι, ὧν οἷόν τ' ἐστὶ τὰ μεγέθη ἀποδιδόναι, οἷον τόνος, ἡμιτόνιον, δίτονον, τρίτονον καὶ τὰ ὅμοια· ἄλογα δὲ τὰ παραλλάττοντα ταῦτα τὰ μεγέθη ἐπὶ τὸ μεῖζον ἢ ἐπὶ τὸ ἔλαττον ἀλόγῳ τινὶ μεγέθει*, ac fortasse etiam, si totum ordinem spectamus, huc referri poterunt quae Aristides (p. 43 W., p. 100 M.) affert de *χρόνοις* qui dicuntur *στρογγύλοι* et *περίπλεῳ*.

Nec vero me fugit his locis rationem quam statui ipsam non comprobari, sed quonam alio modo syllabarum earum anceps mensura explanari possit, equidem non video, nisi acquiescere volumus in ea simpliciter agnoscenda, quo recentiores omnes fere sunt compulsi, aut, id quod quibusdam placuit, coniecturis vel sanissimos locos tentare. Pericula autem, si quidem omnino sunt facta, hanc rem enodandi minime sufficiunt. Nec enim Hermanni arsi nuda choriambici aut iambica anacrusi ionici numeri quidquam explanatur, et vix accipi poterit utramque ultimam ionici

a maiore variati ea de caussa esse ancipitem ('Elem. d. m.' p. 441), quod connexio per ordinem periodicum ea mutatione sit interrupta, quo multi recentiorum etiam spondeum versus glyconei polyschematisti referunt. Quod contra, si meam sententiam probaveris, metra polyschematista ad unum idemque principium atque originem revocabuntur, scilicet ad transpositionem syllabae, unde spondei non iusto loco admissi sint orti, ita ut omnia quae Hephaestio affert exempla communi quodam vinculo sint astricta. Metrum enim Cratineum variatam praebet dimetri choriambici formam et ancipitem syllabarum inde derivandam mensuram, Eupolideum autem est versus glyconeus polyschematistus, in epionico denique, quod a pristina ratione maxime recedit, ionico a minore puro pars anaclomeni praemittitur (id quod infra accuratius videbimus) mensurae ancipitis licentia in forma ita quoque variata admissa; in posteriore autem horum metrorum parte, si respexeris membra ea esse mutilata, eandem obviam fieri rationem facile elucebit infraque accuratius erit demonstrandum. —

Cui expositioni conferas quaeso ea, quae Westphalus (maxime 'Metrik'[2] II p. 745 sqq.) de his metris profert. Profecto, si res ita se haberet, quemadmodum vir ille doctus statuit, veterum doctrinam satis esse confusam confitendum esset, quae ulli principio et legi subiici non posset, atque usque eo non sibi constantem, ut re vera cum plerisque recentiorum prorsus neglegenda esset. Qua in re semper teneas velim ipsorum veterum praecepta proferre sibi videri Westphalum. Sed pauca tantum propono. Metrum quod est ⏑ – – – – ⏑ ⏑ – Hephaestio inter alia polyschematistum appellat, quod pro diiambo praebeat syllaba traiecta choriambum, Westphalus hac mutatione prorsus neglecta ea de caussa in polyschematistis id numerari docet, quod iambum sequatur spondeus, qua de caussa forma quae est ⏑ – – ⏑ – ⏑ ⏑ – ex eius sententia, immo Hephaestionem istam doctrinam proferentem facit, non est polyschematista, nec magis metrum quod est – – – ⏑ – ⏑ ⏑ –, quamquam

in omnibus his metris spondeus ille et initium antispasti qui perhibetur ab Hephaestione non curatur. Porro polyschematistum esse censet metrum ⏓ ⏑̄ — ⏑ — ⏑ — ea de caussa, quod trochaeus in initio positus mutetur spondeo aut iambo, qua de re veteres nihil docent, qui propter spondeum non iusto loco adhibitum in polyschematistis hanc formam, quod est posterius metrorum Eupolidei et Cratinei membrum, numerant. Sed satis de singulis. In universum Westphalus arbitratur Hephaestionem metrum aliquod polyschematistum appellare, ubicunque quattuor priores syllabae antispasti formam non exhibeant, id quod minime in Hephaestionis verbis inest. Veterum autem doctrinam cum suae opinioni adaptare non possit, inconstantes sunt veteres, inque primis obiurgatur Heliodorus, qui metrum antispasticum invenerit, quamquam num omnino id fecerit ille grammaticus Hensius ('De Juba artigrapho' p. 34) haud iniuria dubitat. —

Sed iam quaeritur, si quidem nostrum est talia investigare, quaenam omnino fuerit caussa, ut variati sint eo modo maxime choriambus et ionici. Atque veteres hanc mixtionem eo referunt, quod durius haec metra exeant in syzygias suas [15]), quam doctrinam esse ductum a poetarum metris, qualia obvia fiebant ipsa, facile intellegitur. Re autem vera nostrorum metrorum variata forma cum J. Caesare ('Grundzüge' p. 179) ita explananda erit, ut syllaba interposita interdum collisio complurium syllabarum longarum evitetur, id quod de ionico a min. Aristides quoque respicit loco supra allato (p. 55 Meib.) verbis: *τρίτον παίωνα ποιοῦμεν, ἵνα μὴ τριῶν ἐφεξῆς μακρῶν κειμένων σκληρὸν γένηται τὸ ποίημα* [16]). Variatione autem illa diversum

---

[15]) cf. exempli gratia quae de ionicis Hephaestio (p. 35, 17 W.) profert: *καθόλου σπανίως εἰς τὴν ἰωνικὴν περαιοῦται διὰ τὸ ἀπρεπῆ εἶναι τὴν ἰωνικὴν ἐπὶ τέλους οὖσαν*, de antispasto Mar. Vict. II, 2 p. 89 K. (v. Hensii dissert. laud. p. 272, n. 102), de choriambo Mal. Theod. 'de metris' VIII, 1 p. 597 K.; Serv. in Centim. p. 463 K.

[16]) De *ἤθει* anaclomeni locos composuerunt Rossbachius West-

motum accipiunt haec metra, quo scholiasta *πλῆθος σχημάτων* maxime refert, cum circumscribat Hephaestionis verba quae sunt *πλῆθος ἐπιδέχεται σχημάτων* ita (p. 212, 16 W.): *οἷον κίνησιν χρόνων καὶ ἐκ τούτων διάφορον ποδῶν σχέσιν. Σχήματα γὰρ ἔλεγον τὴν ποιὰν τῶν ποδῶν καὶ τῶν χρόνων σύνθεσιν.* Quod idem respicitur Aristidis verbis his (p. 27 W., p. 32 M.): *διαιρεῖται δὲ ὁ ῥυθμὸς ἐν μὲν λέξει ταῖς συλλαβαῖς . . ., ἐν δὲ κινήσει τοῖς τε σχήμασι καὶ τοῖς τούτων πέρασιν ἃ δὴ καὶ σημεῖα καλεῖται* [17]). De ipsa autem motus variatione, quae eiusmodi transpositione syllabae efficitur, conferendus est locus Aristidis supra (p. 21) allatus, praeterea quae paulo inferius afferuntur (p. 42 W., p. 99 Meib.): *οἱ δὲ μεταβάλλοντες εἰς ἕτερα βιαίως ἀνθέλκουσι τὴν ψυχὴν ἑκάστῃ διαφορᾷ, παρέπεσθαί τε καὶ ὁμοιοῦσθαι τῇ ποικιλίᾳ καταναγκάζοντες,* quamquam de his metris semper tenendum est non ipsam *μεταβολὴν* in iis conspici, sed *ποικιλίαν* tantum, qua ratio rhythmica, quae ab initio iis continetur, eadem manet [18]).

Corollarii denique quodammodo loco attingam eam quaestionem, quam Christius nuper movit, videlicet num ad Heliodorum, cui ineptias, quas in veterum metricorum doctrina deprehendere sibi videntur, recentiores ascribere solent, totum metrorum polyschematistorum genus sit referendum, ut argutiae a grammatico illo nugace satis inepte inventae. In recensione enim, quam de altera Westphali libri editione scripsit (inserta Fleckeiseni annal. philol. vol. XV [a. 1869] p. 361 sqq.; cf. maxime p. 386), veterum

---

phalusque 'Metrik' [1] III p. 116; p. 296 annot. 12; p. 301 annot. 3; quibus addas verba Hephaest. p. 190, 23 W.

[17]) Alio loco (p. 31 W., p. 34 M.) Aristides *διαφορὰν κατὰ σχῆμα* omnino derivat ex diaeresi verbis: *ἡ κατὰ τὸ σχῆμα* (scil. *διαφορὰ ποδῶν*) *τὸ ἐκ τῆς διαιρέσεως ἀποτελούμενον*, id quod quomodo sit intellegendum, exponit J. Caesar 'Grundzüge' p. 112 sqq.

[18]) De *ἀγωγῆς* natura inter alios disseruit Bellermannus in progr. Berol. a. 1864 inscripto 'De metris Sophoclis veterum rhythmicorum doctrina explicandis' p. 16.

doctrinam de σχήμασι μέτρων in Heliodori schola esse fictam eaque de caussa prorsus esse inanem Christius contendit, quam sententiam alio loco se comprobaturum esse promittit; id quod num ei possit contingere valde dubito. Nec vero omnino refert, quis nomen horum metrorum invenerit, et cogitari quidem potest ipsam appellationem Heliodoro esse ascribendam [19]), minime autem inde colligi potest metricum illum nugas egisse, immo singularia et certis circumscripta finibus metra polyschematistorum nomine significari equidem comprobasse mihi videor; quae quis ipsa invenerit, si omnino his in rebus de inventione cogitari potest, satis otiosa est quaestio, nam eodem iure quo Fritzschius ('Quaest. metr.' V p. 18) libertati musicae novae a Melanippide incohatae metra polyschematista tribuit, ea afferri poterunt, quae Priscianus ('De metr.' II p. 428 K.) tradit: 'Simonides et Alcman in iambico teste Heliodoro non solum in fine ponunt spondeum, sed etiam in aliis locis', quibus verbis satis quidem mire spondeus non iusta sede positus respicitur.

Iam ea, quae hucusque in universum adumbravi, accuratius singulis metris sunt illustranda, quamquam in harum schedarum angustiis abunde toti quaestioni satisfacere mihi non est propositum; sed ita tantum rem tractare, ut viam mihi aperiam alio loco ad eam reversuro, ubi dochmius erit adiungendus, cuius indoles cognata quidem videtur esse, nec vero prorsus eadem, quam de his metris statuo.

---

[19]) Plus Hensius quoque in libro quem inscripsit 'Heliodoreische Untersuchungen' p. 102 Christio non concedit.

III.

De choriambico et ionicis metris.

A. De metro choriambico.

Rossbachius Westphalusque choriambum ex metris omnino exterminare eo sunt conati, quod dimetrum dactylicum aut praecedente anacrusi anapaesticum syncopatum eum esse contendunt ('Metrik'[1] III p. 540; 'Metrik'[2] II p. 842; al.), eumque quidem *κύκλιον*, ita ut veterum choriambus non sex, sed quinque tantum tempora contineat ('Metrik'[1] III p. 339; al.); complures autem choriambi ubi connectuntur, posteriori aut priori syllabae longae quattuor tempora *τονῇ* quae dicitur assignantur[20]). Exempli gratia Soph. El. v. 832, ubi verba leguntur: *εἰ τῶν φανερῶς οἰχομένων εἰς Ἀΐδαν ἐλπίδ᾽ ὑποίσεις, κατ᾽ ἐμοῦ τακομένας μᾶλλον ἐπεμβάσει*, sic depingit Westphalus ('Metrik'[2] II p. 222; cf. p. 392 de Eurip. Phoeniss. v. 1539 sqq.):

— ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⏑ ⏑ — ⊔́ ⏑ ⏑ ⊥ ⊔́ ⊥

Choriambum vero cui diiambum annexum esse veteres censent pro versus glyconei primo genere quod statuit habet compositi ex dactylo cyclio et ordine trochaico (II[2] 718; al.), quamquam utraque diiambi thesis ancipitem mensuram admittit, id quod de priore Westphalum omnino effugisse videtur, de posteriore simpliciter notat explanationis ne umbra quidem addita; diiambum denique praemissum chor-

---

[20]) Alio loco ('Metrik'[2] I p. 612) choriambi qui leguntur Soph. Oed. R. v. 498 sqq. ita dispertiuntur, ut evadant ionici a maiore praemissa anacrusi quattuor temporum (— ⏑ ⏑ ¦ ⊥ — ⏑ ⏑ | ⊥ — ⏑ ⏑ | ⊥), quae eadem statuitur (I[2] p. 615) de Aeschyli Sept. v. 720 sqq. hoc modo: ⏑ — ⏑ | ⊥ — ⏑ ⏑ | ⊥ — ⏑ ⏑ . . ., atque id quidem ea tantum de caussa, quod metrum choriambicum Westphalo omnino non est gratum. Nonne id est opinioni praeiudicatae nimium concedere? ut taceam de rhythmo ista ratione misere dilacerato, id quod ex parte de priore loco in Dindorfii quoque distributionem valet, et de ionicis a mai. enixe ex poetarum tragicorum fabulis expellendis.

iambo eundem ad trochaicum metrum refert anacrusi et syncopa dipodica quam dicit accepta (quamquam eam syllabam *τονῇ* supplendam solvi posse Christius 'Metrik' p. 499 demonstrat), ita ut schema eiusmodi metri sit hoc:

⏑ – ⏑ ⊔ | ⏔ ⏑ ⏑ ⊔ ('Metrik'[2] II p. 523),

diversa igitur *τονῆς* genera in eodem versu obvia fiant. Mehercule, artificiorum satis vasta farrago, quorum ne unum quidem veteres docent. Atque optimo iure istum *τονῆς* lusum Christius vituperat (in recensione supra laudata p. 381 sqq.), qui quidem Westphalo ea in re astipulatur, quod choriambum nihil aliud esse quam dipodiam dactylicam catalecticam et ipse arbitratur ('Metrik' p. 250; p. 484; al.), quamquam ei sententiae non eo quo Westphalus ardore metra describenda subiicit paucisque tantum locis ipso schemate ostendit se choriambum, cui iambi sunt admixti, velle intellegi ordinem logaoedicum. Sed ne in singulis haereamus; itaque Meissnerum in commentatione supra citata distinguere inter duo choriambi genera (–́ ⏑ ⏑ — et –́ ⏑ ⏑ ⊔́), quorum neutrum eam, quam tribuunt veteres ei metro, indolem retinet, commemorasse sufficiat, cum equidem non satis intellegam, cur omnino metrum choriambicum tantopere in recentiorum odium irruerit.

Atque sine dubio complures choriambi, perinde atque ionici, integri connecti possunt, atque adeo saepe totum, quem poetae inducere studebant tali metrorum coniunctione, colorem deteri censeo syllabis ex Westphali aliorumque doctrina suppletis. Astricti enim contentique aliquid efficitur syllabarum longarum collisione, intermissio autem talibus in rhythmis fit diaeresi, qua singuli dimetri plerumque dirimuntur. Nec vero omnino syllabarum illarum longarum eadem est vis, nam ita cum J. Caesare (N. Jen. Lit. Ztg. a. 1844 p. 853)[21]) ictus qui dicuntur sunt disponendi:

---

[21]) cf. praeterea 'Grundzüge' p. 178 sqq. Rossbachius Westphalusque ('Metrik'[1] I p. 157; III p. 291 annot.) ionicorum duas syl-

–̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑ –́, ⏑ ⏑ –̋ –́ ⏑ ⏑ –̋ –́, –́ –̋ ⏑ ⏑ –́ –̋ ⏑ ⏑,
ita ut longae quidem syllabae concurrant, non collidantur arses. Facile autem, maxime ubi pauci eiusmodi ordines aliis metris inserebantur, constrictio illa laxari poterat, id quod in choriambis ita factum esse, ut alter choriambus in partes suas dissolveretur formamque diiambi accepisse videretur, supra est expositum. Atque ab his duabus syzygiis coniunctis si profecti erimus, explanari poterunt et syllabae iniusto loco productae et responsio choriambi et diiambi quae perhibetur.

Aristidem metra quae sunt – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – et ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ – ad *ῥυθμοὺς κατὰ περίοδον συνθέτους δωδεκασήμους* referre supra iam est commemoratum, quam doctrinam cum Westphali sententia, quippe qui undecim tantum tempora priori metro, ut omittam alterum *τονῇ* supplendum, assignet, non congruere elucet; nec vero vir ille de sua doctrina dubitat, num recte se habeat, sed Aristidem ex vili fonte eam partem, ubi talia afferat, hausisse arbitratur; quam quidem opinionem a Weilio maxime (recensionibus duorum Westphali librorum insertis Fleckeiseni ann. phil. vol. VIII [a. 1862] p. 333 sqq.; maxime p. 347 sqq.; et vol. XI [a. 1865] p. 649 sqq.) in angustias adductus ex parte omisit, sed quantopere de hac re praevaricetur, luculenter demonstravit Christius in recensione

---

labas breves pro thesi (quemadmodum vulgo vox usurpatur), duas longas pro arsi habent, quae sententia si vera esset, virique illi sibi constare vellent, etiam in his rhythmis *τονή* esset statuenda. Ut vero J. Caesaris sententiam amplectar, commoveor et argumentis loco citato expositis et ea re, quod saepius choriambis dactylus praemittitur (ex. gr. Aesch. Suppl. v. 82), anapaestus ionicis a minore (Arist. Vesp. v. 301; Aesch. Pers. v. 79; eiusdem fabulae vv. 102; 71; al.), quos pedes praecentionis quodammodo loco adhibitos naturam choriamborum aut ionicorum ita exhibere censeo, ut thesis eorum sit suppressa; nec vero cum Westphalo ('Metrik'² II p. 768), Christio ('Metrik' p. 484; coll. recensionis laudatae p. 381), aliis eiusmodi dactylo ansam praeberi choriambos omnino logaoedice metiendi puto.

saepius iam laudata (p. 367 sqq.), id quod non admodum mirabimur, nam aut Aristidis praecepta sunt spernenda, aut Westphali artificia concidunt omnia. Atque equidem non video, quidni amplectamur Aristidis doctrinam, qua nobis certum aliquid praebeatur, quod sequi possumus. Unum igitur *μέγεθος* efficiunt haec metra, cuius partes varie disponi possunt, ita quidem, ut indoles ipsius rhythmi non mutetur. *Ποικιλίας* autem tantum studio commotos poetas haec metra variasse, ita ut idem *μέγεθος* diversa tantum *σχήματα* acciperet, paucis exemplis demonstrasse sufficiet. In parodo Sophoclis Trachin. (v. 116 sqq.) sex versus reperiuntur ita comparati, ut diiambus ter priorem, ter posteriorem locum obtineat:

οὔτω δὲ τὸν Καδμογενῆ
τρέφει, τὸ δ' εὔξει βιότου
πολύπονον, ὥσπερ πέλαγος
Κρήσιον· ἀλλά τις θεῶν
αἰὲν ἀναμπλάκητον Ἅι-
δα σφε δόμων ἐρύκει.

Cui loco conferas Arist. Nub. v. 949 et Lysistr. v. 319, ubi schema metri est hoc: ⏓ – ⏑ ⊥ – ⏑ ⏑ – ‖ – ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓; Soph. Ai. v. 374 (– ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ‖ ⏑ – ⏑ – – ⏑ ⏑ –); al. Diiambum autem et sequentem et praemissum uni choriambo, quae est variatio quaedam nativae rationis, reperies Aesch. Pers. v. 1015; v. 1017; Soph. El. v. 1058; Antig. v. 838; Oed. R. v. 465 (sequuntur choriambum, cui diiambus est praemissus, plures iambi), quemadmodum formata metra quodvis fere canticum praebet.

Nec vero, id quod obiter moneo, choriambus excipere potest ditrochaeum, qua de re Soph. Oed. R. v. 1086 resp. v. 1098 choriambus est segregandus a sequenti periodo, id quod insuper probatur diaeresi, quae est in utroque versu post choriambum adhibita, et anaphora, quae est in antistrophae verbis: *τίς σε, τέκνον, τίς σ' ἔτικτε...*

Choriambi quidem complures connecti possunt, quorum ultimus in diiambi formam saepe auctam aut mutilam

abire solet, atque plures iambi annecti possunt uni choriambo, polyschematismus autem semper continetur iis formis, quae ab duobus choriambis originem duxerunt. Nec vero, nisi diiambum, qui se applicat ad choriambum, variatam esse alterius choriambi formam statuimus, syllabarum irrationalitas, quam admittit et prior et posterior diiambi brevis, explanari potest. Profecto, nisi eae syllabae essent ancipites, mensurae logaoedicae metri quod est — ◡ ◡ — ◡ — ◡ — nihil obstaret, quamquam ad diiambum choriambo praemissum, cuius metri eandem esse indolem facile patet, eadem mensura referri non posset. Sed cum varia earum syllabarum mensura negari non possit, satis in angustias haec metra logaoedica intellecta compellere debebant viros doctos, qui quidem in iis licentiis nude notandis acquiescere, quam eas ad certam legem revocare malebant.

Atque posterioris diiambi choriambo admixti theseos productae exemplum Hephaestio affert metrum Cratineum, quod propter hunc spondeum appellatur polyschematistum; plerumque quidem longae respondet longa syllaba, sed iis quoque locis eam syllabam re vera esse ancipitem, non longam, demonstratur metris, quae longae brevem praebent respondentem. Cuius rei duo, quantum vidi, exstant exempla. Soph. Philoct. vv. 209 et 218 sibi respondent verba:

τρυσάνωρ· διάσημα γὰρ θροεῖ
αὐγά | ζων ὅρμον· προβοᾷ τι γὰρ δεινόν,

ubi Dindorfius pro *θροεῖ* proposuit *θρηνεῖ* metri solius caussa, quod non esse laesum testatur Soph. El. v. 1058: *τί τοὺς ἄνωθεν φρονιμωτάτους οἰω | νούς,* cui respondet v. 1070: *ὅτι σφιν ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ*, quo in versu priore quominus cogitemus de correptione diphthongi ante vocalem sequentem, eo prohibemur, quod semper vocabuli *οἰωνοῦ* eiusque compositorum diphthongus a Sophocle est producta; qua de caussa eadem choriambicae mensurae, non ionicae, quemadmodum fecerunt Hermannus

('El. d. m.' p. 477) et Christius ('Metrik' p. 519), subiiciemus eos versus, cum in anaclomeno, id quod postea videbimus, duobus tantum locis Cyclopis fabulae Euripides ea sede syllabam ancipitem admiserit; praeterea in his versibus numerus qui sequitur favere videtur mensurae choriambicae. — Pauci quidem sunt loci, quibus syllaba re vera anceps reperitur, sed sufficere mihi videntur ad irrationalitatem longae quoque syllabae hac sede adhibitae comprobandam, quam satis esse adamatam colligere potes de Sophocle ex tabulis, quas Bergerus dissertationi suae inscriptae 'De Sophoclis versibus logaoedicis et epitritis' affixit (maxime p. 60).

Nec vero ea quidem sede variam admitti mensuram recentiores negant, quamquam de ea explananda prorsus desperant, sed prior quoque thesis est irrationalis, id quod in metris describendis non satis est curatum. Cuius rei pauca affero exempla. Arist. Equit. v. 552 leguntur haec verba: *χαλκοκρότων ἵππων κτύπος*, quibus respondent v. 582: *τῆς ἱερωτάτης ἀπα|σῶν*, nec vero aliis quoque locis, ubi in stropha et antistropha ea syllaba est producta, cogitari potest de syllaba vere longa; quemadmodum comparati versus leguntur: Arist. Vesp. v. 542: *σκωπτόμενοι δ' ἐν ταῖς ὁδοῖς* resp. v. 646: *τὴν γὰρ ἐμὴν ὀργὴν πεπᾶ | ναι;* Soph. Oed. Col. v. 1055: *Θησέα καὶ τὰς διστόλους* respondente versu 1070: *ἄμβασις, οἳ τὰν ἱππίαν*. Mutilata autem eiusmodi diiambi forma obvia fit Soph. El. v. 472 (resp. v. 488): *εἰ μὴ 'γὼ παράφρων μάντις ἔφυν καὶ γνώμας | λειπομένα σοφᾶς* [22]), diiambum denique, cuius prior thesis est producta, et ante et post choriambum positum deprehendimus Soph.

---

[22]) Quod metrum a Christio ('Metrik' p. 487) non recte ita esse dispositum — ∪ ∪ | — ⏒ | — ⏒ | — ∪ ∪ | — ∪ — Λ diaeresi, qua et in stropha et in antistropha singuli choriambi discernuntur, demonstratur, sed ita schema totius metri erit describendum:

— ⏓ | — ∪ ∪ — | — ∪ ∪ — | ⏓ — ⏓

— ∪ ∪ — | ∪ —.

Oed. Col. v. 1050: *οὗ πότνιαι σεμνὰ τιθηνοῦνται τέλη* resp. v. 1065: *ἁλώσεται· δεινὸς ὁ προσχώρων Ἄρης*, ubi prior diiambus diaeresi, id quod plerumque fieri supra monuimus, est seiunctus. Hac autem ipsa *ποικιλίας* ratione choriambica haec metra esse intellegenda comprobatur, qua ita variantur partes, ut alter choriambus aliud accipiat *σχῆμα*, et toti formae variatae praemittatur diiambus i. e. choriambus eodem modo *ποικίλος* factus; qua re sententiam meam, ex qua fundamentum talium metrorum variatorum duae sunt syzygiae, minime dilabi supra iam vidimus, cum metra eo similique modo formata pro varietatibus nativae rationis *ποικίλαις* sint habenda. Easdem autem syllabarum licentias admitti in diiambo praegrediente choriambum, quas in sequente, testantur ex. gr. Arist. Nub. v. 571; Vesp. v. 1459; Soph. Oed. R. v. 465.

Sed quid multa? Mihi quidem sufficit ea syllabarum irrationalitas ad expellendam his ex metris logaoedicam mensuram, quam si amplectimur quo delabi possimus, Bergerus, in rhythmicis Westphali strenuus pedisequus, docere potest, qui cum contendat (dissertat. laud. p. 9) irrationalitatem theseos semper ante ultimam arsin reperiri, exempla illa Sophoclea supra allata, quae priorem diiambi thesin praebent ancipitem, dactylo-epitritica esse arbitratur (p. 43), quamquam ea syllaba non est longa, sed anceps. Itaque, ne licentiae nimis latam patefaciamus viam, choriambicae mensurae debemus subiicere haec metra, profecti a duobus choriambis connexis, quorum alter ita variatur, ut diversam quidem temporis divisionem accipiat, idem autem spatium retineat syllabarum varia mensura ita quemadmodum supra exposui explanata.

Magis autem his in metris diiambum nihil esse nisi variatam choriambi formam eo comprobatur, quod, ut simpliciter ita dicam, diiambus interdum antistrophice respondet choriambo, id quod fieri vix posse, si germanus esset is diiambus, apparet, ne amplius respiciam logaoedicam mensuram, qua de hac responsione explananda prorsus

destituimur. Atque Hermannus ('Elem. d. m.' p. 422) eam responsionem et permutationem, quam statuit, numeri his verbis illustrat: 'Scenici poetae vehementiam numeri choriambici ita temperaverunt, ut alium cum eo similem numerum permutarent. Is est Creticus, qui quoniam brevior uno tempore est, anacrusis ei iambica praemittitur: quo fit, ut dipodia iambica pro choriambo substituatur. Placuit vero, ne oblitteraretur ea re natura numeri choriambici, alternare dipodias iambicas et choriambos'. Quam doctrinam externam tantum, ut ita dicam, horum metrorum speciem respicientem non est amplexus Geppertus ('de versu glycon.' p. 10 [coll. p. 25]), qui hanc caussam exstitisse putat, quare choriambis atque antispastis dipodiae iambicae immisceri soleant (et sibi respondere possint), quod ipsae rationem *δακτύλου κατ᾽ ἴαμβον* servent. Westphalus deinde ('Metrik'[2] II p. 736), quo est odio choriamborum, alternantes facit dactylum et amphibrachum, ita ut prior amphibrachi brevis ictum assumat. Christius denique, cui haec res, ut ipsius verbis utar ('Sitzungsber. der Münchener Akad. d. W.' a. 1869, I p. 471), est 'ein musikalisches Räthsel', creticum alternare cum choriambo hac ratione ('Metrik' p. 93 sqq.):

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ └─ | –́⏑ ⏑ – , aut

in ea responsione posteriorem choriambi et diiambi longam syllabam ictu esse armandam censet; quo ut confugiamus, num cogamur, immo num omnino ita rem intellegere possimus, accuratius videamus.

Atque dilucide eius responsionis quae sit indoles apparet ex loco Aristophanis Vesparum, ubi haec verba sibi respondent:

v. 526 sqq.:	v. 631 sqq.:
νῦν δὲ τὸν ἐκ ϑἠμετέρου	*οὐπώποϑ᾽ οὕτω καϑαρῶς*
γυμνασίου λέγειν τι δεῖ	*οὐδενὸς ἠκούσαμεν οὐ-*
καινὸν, ὅπως φανήσει	*δὲ ξυνετῶς λέγοντος.*

Primum quidem et alterum strophae versum viri docti coniecturis sanare, si Diis placet, sunt conati ea tantum de

caussa, ut accurata evaderet responsio, id quod minime necessarium est. Choriambica enim dipodia, quam toti systemati esse substruendam elucet, in primo antistrophae versu ita est variata, ut prior, in altero strophae, ut posterior choriambus aliam acceperit temporum divisionem, qua diiambi formam induit. Diiambi autem praemissi choriambo atque ita in initio totius versus (si quidem versus appellare possumus talia metra) positi prior thesis et hoc loco et altero (Soph. Phil. v. 1100 resp. 1121 ab Hermanno perperam coniectura tentato) — haec enim duo tantum exempla eius rationis exstant, cum ceteris locis diiambus choriambo respondeat interpositus pluribus choriambis — prior igitur thesis longa syllaba occupatur, ita ut indoles choriambi quam maxime servetur, atque vice quadam compensentur ea metra, quorum alterum a thesi, alterum ab arsi initium sumit. Quod si respexerimus, cum recentioribus de ictus mutatione aliisque artificiis non cogitabimus. Nec enim diiambus unus choriambo, sed totum *μέγεθος* ex parte variatum respondet ei, cuius partes nativam rationem retinuerunt, ita ut diiambo qui perhibetur semper adminiculum quodammodo detur choriambo integro. De qua re conferas Arist. Acharn. v. 1150, ubi haec reperiuntur verba:

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος, τὸν ξυγγραφῆ, τὸν μελέων ποιητήν,

quibus respondet v. 1162:

τοῦτο μὲν αὐτῷ κακὸν ἕν· κᾆθ' ἕτερον νυκτερινόν γένοιτο.

Quinque igitur sunt choriambi, quorum ultimus, quemadmodum in longiore ordine fieri solet, in diiambum, qui hoc loco est mutilus, abiit; varietatis autem gratia in media periodo unus choriambus diversam partium suarum dispositionem accepit, atque eo quidem loco, ubi ad Antimachi nomen tria apponuntur epitheta, quorum eius, quod est in medio positum, metrum variatum est ita, ut aliud assumpserit *σχῆμα*, qua re singulae totius ambitus partes magis ut emineant efficitur. In antistropha vero, ne oblitte-

raretur vera eius numeri natura, choriambi integri sunt adhibiti.

Similis ratio conspicitur in Soph. Phil. vv. 1138 et 1161, ubi sibi respondent verba:

μυρί' ἀπ' αἰσχρῶν ἀνατέλλονθ' ὅς ἐφ' ἡμῖν κάκ' ἐμήσατ', ὦ Ζεῦ.

et: μηκέτι μηδενὸς κρατύνων ὅσα πέμπει βιόδωρος αἶα.

Quibus locis addas Arist. Nub. vv. 955 et 1030, ubi verba leguntur:

νῦν γὰρ ἅπας ἐνθάδε κίνδυνος ἀνεῖται σοφίας,

et: τῶν προτέρων· πρὸς οὖν τάδ', ὦ κομψοπρεπῆ μοῦσαν ἔχων [23]).

Omnibus autem his locis diiambus aut praemissus aut interpositus innititur integro choriambo, qua de caussa non

---

[23]) Totus locus tantam contraxit labem, ut certi quidquam statui non possit, atque coniecturis nimis amplus pateat campus; maxime autem mendis scatere videtur versus cantici tertius (v. 953), ubi librorum scriptura est: ὁπότερος αὐτοῖν λέγων ἀμείνων φανήσεται. quibus verbis respondere videntur (nec enim editores de distributione consentiunt) versus 1028: εὐδαίμονες δ' ἦσαν ἄρ' οἱ ζῶντες τότ' ἐπὶ (τῶν προτέρων). Atque ut aliquam certe medelam priori versui afferre coner, equidem scripserim:

ὁπότερος αὐτός τι λέγων δεινότερος φανήσεται,

ut αὐτός τι λέγων sit 'de suo ipse aliquid proferens'; nec enim placet codicum αὐτοῖν, cum alteram personam exigi verbis quae sunt νῦν δείξετον eluceat, nec minus dubitari possit, num ἀμείνων de eloquendi facultate recte sit dictum. De versu autem respondente summopere dubitari potest, cum choriambus aut in tertio aut quarto antistrophae versu desit. Numerus vero syllabarum ut aequetur, proposuerim, quamquam satis dubitanter:

εὐδαίμονες ἦσαν ἄρ' οἱ τότε ζῶντες τῶν προτέρων

et in initio versus sequentis ἡλικίᾳ, haud ignarus apud Demosthenem et Plutarchum demum voci quae est ἡλικία hanc vim subiici, nec minus de dativo temporis dubitari posse; deterioribus quidem codicibus ex parte id quod proposui fulcitur, cum tradant: εὐδαίμονες δ' ἄρ' ἦσαν οἱ τότε ζῶντες, ἡνίκ' ἦς τῶν προτέρων. — Sed haec nimis sunt dubia.

ferenda erit ea responsio, quae inest in versibus Arist. Lysistr. 326 et 340, quibus verba continentur haec:

ἀλλὰ φοβοῦμαι τόδε. μῶν ὑστερόπους βοηθῶ;

et: *ὥς πυρὶ χρὴ τὰς μυσαρὰς γυναῖκας ἀνθρακεύειν.*

Alternarent igitur metra — ∪ ∪ — ∪ — ⏑̄ et ∪ — ∪ — ∪ — ⏑̄, si vera esset codicum scriptura; id quod num fieri possit, valde dubito. Fortasse antistrophae verba sunt transponenda (*ἀνθρακεύειν γυναῖκας*), ita ut de diphthongi correptione ante sequentem diphthongum cogitetur, quamquam haec ipsa res satis est dubia (cf. ex. gr. Eurip. Suppl. v. 279; Soph. El. v. 849). Apud Anacreontem quidem sibi respondentes faciunt viri docti choriambum cum diiambo coniunctum et dipodiam diiambicam (frag. 21 B.), sed quaeritur, num in eiusmodi carminibus ipsa responsio statui possit, in quibus metra similia et eiusdem quidem spatii coniunguntur, nec vero ita, quemadmodum videtur, ut accurata responsio evadat; id quod cum aliis Christius quoque videtur neglexisse, quippe qui metra inserta anaclomenis iisque cognata ipsius anaclomeni variatas esse formas censeat ('Metrik' p. 520); *δωδεκάσημοι* quidem *ῥυθμοί* sunt, sed singulae partes quam maxime varie sunt dispositae. Nostro autem loco dipodia iambica obvia fit in continuis versibus (sunt versus 3 et 4), cum in sequentibus strophis semper choriambus cum diiambo coniunctus reperiatur. Sed quidquid de singulis statuitur, ratio mea haec metra ad certum principium ac legem revocandi non dilui videtur. —

Sed iam missum facio metrum choriambicum, cum mihi non sit propositum omnia quae huc pertinent perstringere; unum autem addo, scilicet responsionem quam Westphalus ('Metrik'[2] II p. 733) fieri perhibet in Aristoph. Vesp. vv. 531 et 636 (ut taceam de loco Anacr. 21, 1 B. nimis dubio), ita ut primum quod dicit et alterum glyconei genus alternent, ferri non posse, sed pro verbis quae sunt *ὥς δὲ πάνι' ἐπελήλυθεν* cum Porsono scribendum esse *ὥς δ' ἐπὶ πάντ' ἐλήλυθεν*, qua in coniectura

nunc quidem acquiescamus; nec minus perperam, id quod in transitu quodammodo attingo, ditrochaeo paeonem aut creticum respondentem facere Westphalum ('Metrik'[2] II p. 850) Christius recte contendisse videtur (in recensione laudata p. 378).

B. De numeris ionicis.

De metri Cratinei priore membro cum quid addam non habeam, alterum autem colon idem sit, quod deprehendimus in metro Eupolideo, quod ad versum glyconeum referendum esse censeo, infra de duobus his metris coniunctim disseram; iam paucis erunt illustranda quae in universum de ionicis sunt prolata. Atque primo loco videamus, id quod supra (p. 25) affirmavi, num anaclomeni haec quoque forma ◡ ◡ — ◡ — ⏓ — — ferri possit, id quod inter recentiores Christius quoque ('Metrik' p. 519) negat. Duo autem loci omnino hac in re sunt respiciendi, Eurip. Cyclop. v. 502 (resp. vv. 510 et 518) et v. 500, qui cum in eodem cantico fiant obvii, totam stropham ascribo:

μάκαρ ὅστις εὐιάζει βοτρύων φίλαισι πηγαῖς
ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθεὶς, φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων,
ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸς (vulgo *λιπαρὸν*) *βόστρυχον,*
αὐδᾷ δὲ „θύραν τίς οἴξει μοι;“

Ex ionicis igitur anaclomenis, qui talibus ludicris canticis sunt aptissimi, primi tres versus (ut ita dicam) sunt compositi, in ultimo puris ionicis admixtus est anaclomenus, cuius posteriore brevi producta gravitas quaedam affectatur maiusque pondus tribuitur rhythmo ludibundo, minime autem poetam subito in alium numerum transiisse probari potest, quae sententia Rossbachio Westphaloque ('Metrik'[1] III p. 323) placuit, qui ultimum versum sic depingunt: ◡ ◡ ⊥ — ◡ ◡ — — ◡ ◡ — | ⊥ ◡ ◡ — ◡ — α — , ita ut metrum ionicum abruptum excipiatur choriambico, et vocis

quae est *αὐδᾷ* prior syllaba ad ionicos, posterior ad choriambum transferatur, ne dicam de syllaba ancipite logaoedica choriambici numeri mensura nequaquam explanata. Talia quominus adhibeamus, prohibemur simplici horum metrorum indole, abs quibus abesse crederes artificia quae sunt *τονή* et syllaba longa longior, sed hanc sententiam te frustrari intelleges etiam Christii descriptione (⏑⏑–́⏑⌞ –́– 'Metrik' p. 518), quamquam de hoc colo eam metiendi rationem, quam equidem institui, concedit, quam reiicit in versu eiusdem systematis tertio (500). Atque hoc loco codices haec praebent:

ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸς βόστρυχον …,

quibus in verbis Scaliger pro *λιπαρὸς* scripsit *λιπαρὸν*, quod recentiores probaverunt; Dindorfius praeterea, ut syllabam evitaret ancipitem, coniecit *ἐπὶ δεμνίοισί τ' ἄνθος χλιδ. ἐχ. ἑταίρας*. At quid significatur vocibus quae sunt *ἄνθος ἑταίρας*, flos puellae? Ipsam puellam floridam vix ita appellare poteris, nec magis appositionis quae dicitur verbis quae sunt *λιπαρὸν βόστρυχον* additae vicibus eae voces fungi poterunt, id quod ad minimum hoc loco molestissimum esset totumque colorem vividum pessumdaret. Verbis autem *μυρόχριστος λιπαρὸν βόστρυχον* coniunctis num ipsis Graecitatis legibus satisfiat accusativo illo relationis qui dicitur (ita enim verba ea coniuncta erunt intellegenda), summopere dubito, cum vocabula quae sunt *μυρόχριστος* et *λιπαρός* hoc loco fere sint synonyma. Sed haec fortasse minoris sunt momenti. Equidem omnino non video, cur *ξανθὸν* corruptum esse putetur, sed omnibus ex numeris librorum scriptura placet ita mutata, si hanc omnino mutationem dicere potes, ut pro *λιπαρὸς* legamus *λιπαροῖς* totumque locum sic scribamus:

ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαροῖς βόστρυχον …,

qua scriptura singula verba in crucis quodammodo formam redacta nitide ponuntur, atque intima coniunctio ipsa

verborum collocatione depingitur et metro quoque, cum singuli ionici quam minime diaeresi dissecti quodammodo coalescant. Nec vero in ancipite eius sedis mensura haerebimus, quam admitti posse comprobant et versus eiusdem cantici, quos attuli, et similitudo metri choriambici et ipsa horum metrorum indoles, quam supra exposui. Singulare quidem hoc in versu est, quod in antistrophis eadem sede breves syllabae reperiuntur, sed eadem ratione qua syllabae interpositae (hanc dico formam ⏑ ⏑ – ⏒ – ⏑ – –) productae brevis respondere potest, id quod apud Aristophanem non tam raro factum videmus (ex. gr. Vesp. v. 295 ∼ 306; Ran. v. 328 ∼ 345; v. 329 ∼ 346; al.), idem hac quoque sede fieri poterit, maxime si respexerimus hos locos occurrere in fabula satyrica. Qua in re ne omittas quaeso et in hoc versu et in tribus exemplis antea laudatis priorem syllabam semper esse non productam, id quod supra attigimus. (De Soph. Electrae v. 1058 in p. 36 est dictum).

Sed iam viri docti quid de anaclasi senserint breviter exponam. Atque G. Hermannum ('Elem. d. m.' p. 464) veterum de hoc metro doctrinam falsam esse arbitrari supra iam est indicatum; saepissime enim purum ionicum a minore ditrochaeum praecedere, quem re vera ionici locum occupare posse censet; id quod si statuitur, irrationalitas reperitur non quarta, quemadmodum equidem iudico, sed quinta sede. Anaclasin autem ipsam vir ille doctus ('Elem. d. m.' p. 470) eo explanare conatur, quod secunda arsis aucta uno tempore locum suum relinquat ibique consistat, ubi per imminutum sequentem ordinem possit, hoc schemate ascripto ⏑⏑–́ | ⏖́ | ⏑⏑–́ | –́ = ⏑⏑.–́ | ⏑⏖́ | ⏑–́ | –́, quo in metro syllabarum licentiam inde oriri censet, quod pro anapaestica anacrusi iambica ponatur (cf. 'Epit. d. m.' p. 169); eodem ionicorum a maiore quoque cum ditrochaeo commutatio revocatur (–́ | ⏖́ ⏑ ⏑ = – ⏑ | ⏖́ ⏑).

Quam explanandi rationem nimis esse externam eaque nihil re vera nos proficere patet. Quod idem fere in

Boeckhii sententiam valet, qui hanc esse formam anaclomeni censet ('De m. P.' p. 155) ⏑⏑⊥⏑̄ | ⊥⏑̄⊥⏑̄, prioris brevis irrationalitate ad delitescentem secundam arsin relata.

Similique modo ad quaesita artificia perfugere maluerunt, quam veterum ab ipsa horum metrorum natura profectam doctrinam amplecti, Apelius, Feussnerus ('De antiquorum metrorum et melorum discrimine' p. 17), Bellermannus ('Die Hymnen des Dionysius und Mesomedes' p. 61), qui, id quod de Apelio supra iam vidimus, irrationalem syllabarum mensuram ei metro perhibent temporibus hoc modo distributis ⏑ ⏑ — — ⏑ ⏑ ⊥ — ; nec minus Geppertus, qui ('De versu Glyconeo' p. 16) deminutam esse ultimam syllabam longam ionicae syzygiae auctamque tempore aliquo translato ultimam syllabam brevem putat.

3 3/2 1/2 1 3

Heimsoethium deinde ('De versuum ionicorum mensura', qua commentatione Bonnae 1871 edita natall. Guil. I. indicuntur) ionicos a minore duorum anapaestorum, ionicos a maiore dactylorum tempori aequare, Weyhiumque ('De veterum rhythmi et recentiorum tactus quem dicunt discrimine' p. 23) sublationis et positionis confusione tantum ionicum numerum intellegi posse arbitrari satis habeo commemorasse.

Quidni, iterum atque iterum interrogo, veteres sequimur, quorum doctrina ea quam exposui ratione intellecta omnia, quae huc pertinent, explanari possunt? An vero sunt evidentiora quae Rossbachius Westphalusque de hac re disputant? Quos viros permutationem ionicorum et ditrochaei revocare ad *μεταβολὴν κατὰ λόγον ποδικόν* supra exposui; nec vero de ipsa *μεταβολῇ* his in numeris cogitari posse iam patere spero. Et quid, si ea locum haberet, isto modo explanaretur? Num inde elucet, quomodo omnino haec metra ita coniungi potuerint? Minime; ne dicam de ionico a minore a duumviris illis derivato ab ionico a maiore, quamquam constat hoc metrum posteriore demum aetate et tum quoque satis raro esse usurpatum.

Ab anaclomeno autem, quem compositum esse ex ithyphallico in spondeum exeunte et anacrusi duarum syllabarum censent ('Metrik'¹ III p. 295), dimeter ionicus a minore iis originem duxisse videtur (ibidem p. 301), ipsum vero contrarium esse statuendum unusquisque facile intelleget; atque ditrochaeum ionico hoc modo aequant ('Metrik'¹ I p. 159) ⏑ ⏑ | — ⏑ — ⏑ | — —
⏑ ⏑ | — — ⏑ ⏑ | — — . Thesis autem prioris trochaei, nam alteram non curant, cum anceps sit, non ipsi anaclomeno eius sedis varia mensura permittitur, sed tertia fingitur forma, dimeter ionico-epitriticus ('Metrik'¹ III p. 297), quamquam Aristides loco supra laudato syllabam longam quarta sede evitari docet. Quintam igitur sedem esse irrationalem cum Hermanno censent, non quartam. At respondet ea, quam statuunt, forma tertia dimetro ionico puro [24])! Profecto, neque vero id iis iniicit scrupulum,

[24]) Nec vero eiusmodi responsio tribui potest Aeschylo, quemadmodum factum videmus a Rossb.-Westph. ('Metrik'¹ III p. 298). Accurata enim est apud poetas tragicos responsio et syllabae ancipitis et dimetri ionici anaclomenique, si exceperis Eurip. Bacch. v. 530 (resp. v. 550), ubi haec leguntur verba:

σὺ δέ μ', ὦ μάκαιρα Δίρκα, στεφαναφόρους ἀπωθεῖ

et: *σκοτίαις κρυπτὸν ἐν εἱρκταῖς. ἐσορᾷς τάδ', ὦ Διὸς παῖ,*

ab Hermanno mutata in *σκοτίαισι κρυπτὸν εἱρκταῖς,* quae coniectura, quam editores plerumque receperunt, (ne dicam de dativis in diversas formas exeuntibus) num necessaria sit, dubito, cum apud Aristophanem, quem syllabas ancipites eundem non accurate sibi respondentes facere vidimus, anaclomenus respondeat dimetro ionico (ex. gr. Ran. v. 327∼344; v. 336∼353). Quibus de licentiis apud Aeschylum cogitari nequit, qua de caussa versus qui leguntur Prom. 399 et 408 sine dubio corruptione sunt aspersi, quae qualis videatur esse, accuratius contemplemur.

Libri verba tradunt haec:

δακρυσίστακτον δ' ἀπ' ὄσσων ῥαδινῶν λειβομένα ῥέος παρειὰν

et: *μεγαλοσχήμονα τ' ἀρχαιοπρεπῆ στένουσι τὰν σὰν . . .*

Uno igitur ionico superat stropha antistropham, praeterea sibi respondent metra ⏑⏑———⏑—— et ⏑⏑——⏑⏑——. Atque magna

cum trochaeus eius formae sit *δίσημος*, quem eundem, quamquam ipsorum ingeniis est fictus, ad ionicum a maiore referunt ('Metrik'[1] III p. 328 ann. 6).

Sed ne ea longius prosequamur. Viri enim illi ipsi concedunt ('Metrik'[1] III p. 298) anaclomenum et tertium metrum ionicum quod perhibent sibi respondere; nonne igitur et simplicius et rectius statuemus dimetrum ionicum syllaba transposita ita esse variatum, ut anaclomeni formam acceperit licentia syllabae ancipitis admissa? Certe si tertiam istam formam ut diversam segregamus, ad summas devenimus inconstantias certumque principium plane ex his metris eiicitur; id quod aliqua quidem ex parte valet in Christii quoque sententiam, qui duas partes, ex

---

de loco emendando est dissensio, hi enim viri docti addunt vocabulum aliquod in antistropha, illi delent *λειβομένα* strophae, id quod mihi quidem facillimum videtur esse, cum satis liqueat, quomodo ea vox in textum se insinuaverit (qua eiecta scribendum est in sequentibus *ἔτεγξε*). Sed quid de responsione illa erit statuendum, utrum delebimus particulam *δέ* — id quod si fit, asyndeton dubitationem movere potest — an scribemus *δακρυσίστακτα* vel *δακρυσιστακτί*? Neutrum mihi placet. Respiciamus enim totius systematis numerum. Remota voce quae est *λειβομένα* prior eius pars praebet dimetros ionicos anaclomenos, si hunc locum exceperis unum; id quod per se quidem spectatum nihil habet, in quo haereamus, sed quae est *μεγαλοσχήμων τιμή*? Sine dubio honor magnus isque quidem amissus, qui deploretur. Num vero *ἡ τιμή* ullum habet *σχῆμα*? Sed ne longi simus, equidem *τιμῆς* voce poenam significari censeo totumque locum sic scribo:

δακρυσίστακτον δ' ἀπ' ὄσσων
ῥαδινῶν ῥέος παρειὰν

et in antistropha:

μεγαλοσχήμων [ἀναιδῆ]
κἀπρεπῆ στένουσα τὰν σάν,

ita ut metrum evadat idem, quod est in ultimo versu. *μεγαλοσχήμων* autem ad verba *πρόπασα χώρα* refero, 'tota regio eaque ampla' ('quae est ampla' — qua in verborum coniunctione hoc loco vix necessarium erit participium); verbum quod sequitur satis est dubium, *ἀπρεπῆ* autem aptissime dici concedes.

quibus is quoque compositum esse censet anaclomenum, ita depingit ⏑ ⏑ — ⏓ | — ⏑ — ⏓̇ ('Metrik' p. 515 sqq.).

Quam artissime autem anaclasi duos ionicos a minore connecti, ita ut de duabus partibus separandis omnino cogitari non possit, inde quoque colligi potest, quod membrum ⏑ — ⏑ — — ita corroboratum quodammodo est, ut metrum proprium factum praemittatur anaclomeno, cuius rei exempla affero Aeschyli Prom. vv. 128 et 397; de aliis enim locis dubitari potest, utrum ad ionicum an choriambicum numerum sit referendum id colon, id quod ad metra sequentia erit diiudicandum. Simili vero modo mediam quoque anaclomeni partem (⏓ — ⏓ —) detractam atque ionico a min. puro praemissam esse censeo in metro epionico, polyschematisto ea de caussa a veteribus dicto, quod in diiambo, qui ionico sit praemissus, spondeus admittatur iniusta sede. Semper autem tenendum est hoc metrum a comicis maxime esse usurpatum, maiores igitur licentias esse exspectandas. Atque recentiores omnes, quantum vidi, hoc metrum logaoedicae mensurae subiiciunt, plerique e duobus glyconeis polyschematistis id compositum esse censent varia descriptione facta, id quod in universum commemorasse hoc loco sufficiat. In diversas quidem partes de hoc metro constituendo discedi posse elucet, sed mihi quidem magis arridet veterum doctrina, ex qua diiambus praemissus est ionico, id quod fulciri videtur diaeresi semper fere adhibita et post diiambum (in priore quidem membro) et post ionicum, atque universa talium metrorum longiorum compositione, quorum posterius membrum plerumque prioris deminuta et mutila est forma; faciliusque, si ita hoc metrum acceperimus, spondeus in diiambo admissus explanabitur aut ab ipso anaclomeno derivandus aut ad analogiam similium metrorum admissus.

IV.

De versu glyconeo.

Τὸ καθαρὸν Γλυκώνειον ἀντισπαστικόν ἐστι δίμετρον ἀκατάληκτον, ἔχον ἰαμβικὴν τὴν δευτέραν συζυγίαν Hephaestionis scholiasta docet (p. 213, 17 W.), eundemque omnes metrici Graeci, si exceperis ea, quae Aristides de altero dochmiorum genere exponit (p. 37 W., p. 39 M.), intellegunt versum glyconeum, cum grammatici Latini aut choriambicum aut dactylicum eum esse proferant; de qua re singulos locos composuit H. Weissenbornius in dissertationis inscriptae 'de basi versuum glyconeorum' p. 34 sqq.; coll. p. 14 sqq. Antispasticum autem metrum omnino admitti non posse inter omnes constat, nec singula argumenta, quibus id eiiciendum esse comprobatur, repetere opus erit, quamquam, id quod supra attigimus, dubitari potest, num ipse Heliodorus antispastum in metra prototypa quae dicuntur receperit. Qua antispastica mensura ex glyconeo expulsa, quam Geppertus libellis supra allatis non admodum feliciter defendere conatus est, lata via agitandi ingenium est aperta, quam quomodo ingressi sint recentiores, quam paucissimis verbis iam indicabo.

Atque Hermannus ('Elem. d. m.' p. 524 sqq.; al.) ad logaoedicam mensuram versum glyconeum revocat, polyschematistam autem formam eo explanare studet, quod ordo logaoedicus intellectus sit metrum compositum ex choriambo et diiambo basi praemissa ita variandum, ut iambus ante choriambum positus in trochaeum mutetur, contra basis, si post choriambum ponatur, vertatur in iambum. Tres igitur formas versus glyconei Hermannus esse putat, scilicet has:

— ∪ — ∪ ∪ — ∪ —

— ⏑̄ — ⏑̄ — ∪ ∪ —

— ∪ ∪ — ∪ — ∪ —,

in quibus immutabilem esse solum choriambum, syllabam autem alterius formae ea de caussa esse ancipitem, quod trochaeus cum sequenti numero non cohaereat. Novum igitur explanationis genus offertur, videlicet poetae ipsi metra sua falso intellexisse et errore quodam esse delapsos ad eas, quas deprehendimus, variationes perhibentur.

Nec plus ad rem enodandam conferre videtur Reisigius ('Coniectanea in Aristophanem' p. XXII sqq.), qui ex dipodia choriambica glyconeum compositum esse arbitratus polyschematistam formam eo refert, quod prior utriusque choriambi pars coniungatur, eodemque modo altera, id quod hoc schemate demonstratur:

$$\overset{1}{— ∪} \mid \overset{3}{∪ —} \qquad \overset{2}{— ∪} \mid \overset{4}{∪ —}$$

Boeckhius ('De m. P.' p. 133) deinde solam logaoedicam mensuram admittit, eumque secutus Selckmannus ('De versu Glyconeo' p. 16 sqq.) glyconeum eo fieri polyschematistum censet, quod medii duo moduli, scilicet dactylus et trochaeus, sedem mutent, trochaeus autem transpositus baseos naturam accipiat. Quae explanationis ratio non satisfecit Weissenbornio, qui ('De versibus glyconicis' p. 24) duplex glyconeorum genus distinguendum esse arbitratur, alterum dactylicum, cuius arses solvi non possint et paenultima semper brevis sit, alterum choriambicum, cuius licentiae sint maiores; quae sententia non magis erit probanda quam Fritzschii, qui pluribus dissertationibus Rostochii a. 1856—58 editis demonstrare studet esse distinguendum inter doctrinam metricorum et rhythmicorum, quorum hos antispasticam, illos choriambicam mensuram usurpasse contendit (cf. maxime 'Quaestt. metr.' I p. 2; p. 5; al.).

Ii vero, qui recentissimo tempore hanc rem tractaverunt, omnes, si, quod sciam, Dindorfium et Heimsoethium exceperis, versum glyconeum esse ordinem logaoedicum censent dactylo *κυκλίῳ* qui dicitur tribus tantum temporibus diversa quidem distributione assignatis, quo facto deficiens mora, cum in *ῥυθμοῖς συνθέτοις κατὰ περίοδον*

δωδεκασήμοις Aristides glyconeum quoque numeret (eum *ἁπλοῦν βακχεῖον ἀπὸ τροχαίου* appellans), *τονῇ* ultimae syllabae aut pausa est compensanda. De polyschematista autem forma explananda omnes fere Selckmanni sententiam sunt amplexi, qui dactylum et trochaeum locum mutare contenderat; id quod ingeniose esse excogitatum negari non potest, attamen difficultates satis multae remanent. Baseos quidem notione carere non possumus — nec enim recte Westphalum ad eam polyschematismi retulisse naturam supra vidimus, qua ratione, etiamsi ferri posset eius sententia, harum tantum formarum — ⏑ et ⏑ — commutatio explanaretur —, sed magnam mihi movet dubitationem dactyli ista mensura, quam loco illo Dionysii Halic. (De comp. verb. c. 20) minime doceri opinione praeiudicata non occaecatis est confitendum, nec tam spernenda erunt quae de eo loco disseruit Heimsoethius ('De duplici quod fertur dactyl. et anapaest. genere in rhythmis Graecorum', quae commentatio praemissa est Ind. schol. Bonn. aest. a. 1875). Nec minus dubia est ista *τονή*, quae statuitur, cum legi illi, ex qua syllaba eo modo producta non solvatur, versus non pauci adversentur, quos composuit Christius in recensione saepius iam laudata (p. 382 sqq.); maxime autem haereo in syllabae paenultimae irrationalitate, quam negari non posse exemplis demonstratur collectis inter alios a Westphalo ('Metrik'[2] II p. 839), cui de Sophocle conferas Bergeri dissertationis p. 55 (coll. p. 8), ita ut sibi respondeant formae ‒ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏑ — et — ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏓ —, qua re multos recentiore tempore eo esse adductos, ut duplex glyconeorum genus statuerent, supra est indicatum. Obvia quidem fit ipsa syllaba anceps in posterioribus tantum Sophoclis fabulis et apud Euripidem, attamen iis quoque locis, ubi longae ea sede sibi respondent, erit quaerendum, quonam modo ea licentia omnino fieri potuerit; nam apud omnes poetas, quantum video, ipsa versus glyconei indoles est eadem, ita ut ea syllaba re vera licentiae artis rhythmicae a pristina simplicitate declinantis sit tribuenda, non

inde fortasse derivanda, quod a poetis, qui variam eius mensuram admiserunt, alia sit intellecta ipsa glyconei natura. Quam irrationalitatem explanant nec Hermannus ('Elem. d. m.' p. 527 sqq.) nec Westphalus ('Metrik'[2] II p. 728) nec Christius ('Metrik' p. 538), qui de ea re haec profert: 'Der beruhigende Abschluss des Glykoneus wird noch erhöht durch eine syllaba anceps an vorletzter Stelle, welche sich Sophokles und Euripides mehrere Male am Ende der Strophe oder zum Ausdruck wehmüthiger Stimmung erlaubten.' Sed etiam de J. Caesaris explanatione ('Grundzüge' p. 206), qui pro arsi syllabam illam longam habet, (quamquam eo modo sagacissime, si quidem logaoedicam mensuram statuimus, illa glyconei forma, qualis ipsa apparet, ad veras leges rhythmicas revocatur) et trochaeus, qui proprie esset spondeus, et ipsa pedes transponendi ratio dubitationem movere possunt; totus autem numerus pessumdatur, si cum Selckmanno glyconeum ita comparatum dimetrum choriambicum catalecticum esse ponimus; praeterea syllaba illa est anceps, non longa.

Atque equidem, quamquam hac sententia obsoleta repetere videbor, versum glyconeum compositum esse censeo ex choriambo, cui praemissa est basis, et iambo; quae mensura si accipitur, et *ῥυθμὸν δωδεκάσημον* retinemus artificiis istis non adhibitis, et syllaba illa irrationalis ad certum principium et legem revocatur. Iis quidem, qui metrum choriambicum omnino non agnoscunt, me persuasurum esse non spero, sed erunt fortasse, quibus non prorsus inania proferre videar.

Versum Asclepiadeum maiorem qui dicitur non recte mensurae logaoedicae subiici, sed esse metrum choriambicum Horatii exempla evidenter ostendunt, quippe qui singulos choriambos longe plerisque locis (id quod ab aliis quoque poetis factum videmus) diaeresi secludat; an vero tu censes versus qui sunt: 'Quis post | vina gravem | militiam aut | pauperiem | crepat?' — aut: 'quis te | non potius, | Bacche pater, | teque, decens | Venus?' forte quadam

hoc modo esse compositos? Trimetro igitur choriambico, cui praemissa est basis, adiungitur iambus, cuius theseos ancipitem mensuram testatur ex. gr. Soph. Phil. v. 681, ubi verba leguntur: *ἄλλον δ' οὔτιν' ἔγωγ' οἶδα κλύων οὐδ' ἐσιδὼν μοίρᾳ.* Uno autem choriambo deminutus est versus Asclepiadeus minor, cuius indolem esse eandem atque maioris et diaeresi et eo comprobatur, quod diiambi thesis eadem variam admittit mensuram (ex. gr. Soph. Antig. vv. 945; 949; 951; Phil. vv. 706; 707), quam syllabam in his similibusque versibus ancipitem esse inde elucet, quod interdum longae respondet brevis, ex. gr. Soph. Phil. v. 176 ∼ 187, ubi pro verbis quae sunt *ὦ παλάμαι θνητῶν* nec Boeckhii ('De m. P.' p. 323) scriptura *βροτῶν* nec Lachmanni *θεῶν* probanda erit (cf. Bergeri tabulas dissertationi eius affixas p. 55; coll. p. 8); qua de caussa Christii talium metrorum descriptio quae est — ◡ ◡ | ⌊— | ⌊— | ⌊— aut — ◡ ◡ — ⌊— ⏓ ('Metrik' p. 488; p. 497) non recte se habet. Unum denique omnino choriambum praebet versus glyconeus. Quibus in metris choriambicae mensurae id quoque favere videtur, quod iambus, quem equidem in fine deprehendere mihi videor, saepe una syllaba est auctus, ita ut in fine horum metrorum schema fiat conspicuum — ◡ ◡ — ◡ — ⏒, quemadmodum factum videmus exempli gratia in versu Asclepiadeo maiore Anacr. fr. 20 B., in minore Soph. Ai. v. 630, in versu glyconeo Soph. Oed. Col. vv. 133, 240, 680; atque adeo plenum diiambum post choriambum, cui praemissa est basis, habes Soph. Phil. v. 209, quem versum supra iam attuli aliam ob caussam, cum eius schema sit hoc: — ⏒ — ◡ ◡ — ◡ — ⏒ —, ut taceam de versibus his maxime cognatis, in quibus choriambo plures iambos se applicare supra vidimus, et de forma glyconei polyschematisti aucta iambo, cuius thesis uno loco (Eurip. Bacch. vv. 867 ∼ 887) re vera est anceps.

Magis autem apparebit, quae sit vera horum metrorum natura, ex iis systematis, in quibus huiusmodi numeri cognati sunt coniuncti; cuius rei exemplum nobis praebeat

canticum quod legitur Soph. Antig. v. 944 sqq. ∼ v. 955 sqq., ubi metrorum schema hoc est:

— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — | —
— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — | ⏒ —
— ∪ ∪ — — — — — ∪ ∪ — | ∪ — ⏒ —
— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — | ⏒ —
— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — | — ∪ ∪ —
— — — ∪ ∪ — — ∪ ∪ — | ⏒ —
(sequuntur iambi)

cui verba subiunguntur haec:

ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον | *φῶς*
ἀλλάξαι δέμας ἐν χαλκοδέτοις | *αὐλαῖς·*
κρυπτομένα δ' ἐν τυμβήρει θαλάμῳ | *κατεζεύχθη.*
καίτοι καὶ γενεᾷ τίμιος, ὦ | *παῖ παῖ,*
καὶ Ζηνὸς ταμιεύεσκε γονὰς | *χρυσορύτους·*
ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις | *δεινά.*

Tertius igitur et quintus versus fundamentum quodammodo totius sunt systematis, quorum hic in fine purum choriambum praebet, ille idem *μέγεθος* variatum; ceteri versus eundem rhythmum mutilata forma exhibent, quem choriambicum esse etiam diaeresi demonstratur, qua post choriambum adhibita in omnibus strophae quidem versibus finis variatus seiungitur, id quod verbis supra ascriptis elucet.

Nec alia erit condicio cantici quod reperies Soph. Phil. v. 204 sqq. ∼ v. 213 sqq., ubi quattuor glyconeos polyschematistos excipit versus saepius iam laudatus huius formae — ⏒ — ∪ ∪ — ∪ — ⏒ —. Conferri etiam possunt praeter alios locos Soph. Ant. v. 838 sqq. ∼ v. 857 sqq.; Eurip. Orest. v. 807 sqq. ∼ v. 819 sqq., ubi tres glyconeos polyschematistos sequitur hoc metrum: ∪ ∪ ∪ — — — ∪ ∪ — ∪ — ⏒; Soph. Phil. v. 169 sqq. ∼ v. 180 sqq.; Arist. Av. v. 676 sqq., ubi rhythmum ad integrum glyconeum increscentem deprehendimus in initio systematis hoc metro — ∪ ∪ — ⏒ — posito; ne amplius respiciam dimetrum choriambicum va-

riatum cum glyconeis saepius coniunctum (ex. gr. Arist. Equ. v. 551 sqq. ~ v. 581 sqq.).

Sed iam haec mitto. Equidem igitur versum glyconeum non ad logaoedicam, sed ad choriambicam mensuram revoco, iambum autem choriambo adiunctum, quamquam forma eius est mutilata, easdem licentias admittere censeo atque diiambum choriambo admixtum, cuius utraque brevis cur produci possit, atque quem re vera esse choriambum variatum supra exposui. Abruptus quidem aliqua ex parte minusque concinnus, si solam doctrinam spectamus, versus glyconei rhythmus ita, quemadmodum statuo, compositus videri potest; nec vero haec difficultas tam magna erit, si respexerimus agi de versu limato quodammodo et expolito et certis coartato finibus, cuius ictus sic erunt distribuendi: ⏓ ⏒ –̋ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́, ita ut in fine arseos, quae proprie est choriambi variati, vis sit deminuta, totusque rhythmus uni tantum adminiculo maiori innisus choriambi ipsius arsi astringatur.

In ipsa autem versus glyconei mensura constituenda quamquam veterum doctrinam non sum amplexus, tamen in polyschematista eius forma explananda proxime ad eos accedo. Una igitur tantum syllaba transposita effici formam polyschematistam contendo (⏓ ⏒ –́ ⏒ –̋ ⏑ ⏑ –́); nam ita tantum intellegi videtur posse, cur spondeus ante choriambum admitti potuerit, cum de recentiorum sententia, ex qua haec licentia eo sit referenda, quod pedes non cohaereant, num sufficiat ad rem explanandam, dubitari possit. Nec igitur tertium ullum glyconeorum genus, quod Westphalus maxime statuit, equidem probo.

Obiicies mihi fortasse hac syllabae transpositione ipsius rhythmi rationem non haberi, choriambum enim dilui et alio loco casu quodam alium oriri choriambum. Audio, nonne autem idem valet in eorum doctrinam, qui dactylum et trochaeum locum mutare censent? Nec enim, cur id fiat, *ἐπιλογισμόν*, quem Hephaestio quoque desiderat, afferre possunt. Nec vero omnino nostrum videtur esse inquirere,

cur hoc vel illo metro poetae sint usi, sed metra, qualia adhibita videmus, ad certam legem ac principium revocare. Facile autem fieri potuit, ut nativa versus glyconei saepissime *κατὰ στίχον* fere, ut ita dicam, continuati forma variaretur ipso *μεγέθει* servato et partibus alio modo distributis *ποικίλιας* solius caussa, id quod equidem una tantum syllaba traiecta factum esse censeo, cum praeter argumenta supra exposita hanc variationis rationem ipsi veteres metrici offerant, quorum doctrina nobis nonnisi coactis relinquenda erit, ut habeamus quod sequi possimus his in quaestionibus nimis dubiis, quae maiore ex parte nunquam fortasse ad umbilicum adduci poterunt. —

Iam unum, de quo disceptatur, addo, scilicet in Soph. Oed. Col. vv. 511 et 523 responsionem fieri mihi videri ita, ut glyconei forma principalis et polyschematista alternent, quarum initium sit deminutum, finis auctus una syllaba; qua de caussa equidem Hermanni scripturam quae est *ἐθελητὸν* pro codicum *αὐθαίρετον* (in versu 523: *τούτων δ᾽ αὐθαίρετον οὐδέν*, cum legantur in stropha verba: *ὅμως δ᾽ ἔραμαι πυθέσθαι*) non necessariam esse puto. —

Pauca denique restant de Cratineo et Eupolideo metris dicenda. Atque priorem metri Cratinei partem qualem intellegam, longius supra est expositum, scilicet dimetrum choriambicum ita variatum, ut alter choriambus formam diiambi acceperit ancipite syllabarum mensura admissa, quem rhythmum continuatum videmus, ita quidem, ut in fine sit mutilus, in altero quoque colo unius quidem ex iis, quae Hephaestio affert, exempli (p. 56, 1 W.): *καὶ ξυνεγινόμην ἀεὶ τοῖς ἀγαθοῖς φάγροισιν*, plerumque autem posterius membrum eandem formam praebet, quae fit obvia in altero metri Eupolidei colo, cuius prius membrum nihil aliud est nisi versus glyconeus polyschematistus. Sed quo utriusque metri posterius colon quod est — ⏓ — ⏓ — ◡ — referemus? Atque Marius Victorinus (III, 2 p. 104 K.) reprehendit quidem versus Eupolidei formam ut fragosam et asperam, quale sit metrum non addit, nec

magis Hephaestio eiusque scholiasta, qui spondeum tantum non iusta sede admissum notant.

Colon vero quod est — ◡ — ◡ — ◡ — saepius clausula est systematum ex glyconeis cognatisque metris compositorum, quemadmodum adhibitum fit obvium Arist. Vesp. v. 1474, ubi tres, Pherecr. fr. 92, ubi sex glyconeos excipit (cf. Christii 'Metrik' p. 505, ubi praeterea afferuntur Soph. Antig. v. 337; Oed. Col. v. 677; Eurip. El. v. 153; Hippol. v. 67); nonne inde colligi poterit metrum nostrum ipsum esse glyconeum polyschematistum extenuatum quodammodo et mutilatum? qualia membra integrae formae a poetis adiungi solere comprobatur inter alia versu priapeo et fortasse metro epionico atque ea forma, qua interdum prius metri Cratinei colon continuari Hephaestio docet; praesertim cum eaedem licentiae, quas basis quae dicitur admittit, in eo quoque deprehendantur, ita ut idem metrum, quod a prioribus poetis clausulae loco erat usurpatum, postea liberius formatum cum cognato rhythmo in unum versum coaluerit; quamquam etiam cogitari potest dipodiam trochaicam catalecticam metro alicui polyschematisto adiunctam eius licentias et ipsam assumpsisse. —

Sed iam finem impono disputationi de metrorum polyschematistorum natura institutae. Multa cum de his metris peccata viderentur, ante omnia certum erat iaciendum fundamentum, quo singula referri possent, id quod veterum doctrina nisum ex parte quidem me assecutum esse spero.

Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.

T H E S E S.

I. Sanum Madvigii iudicium de arte critica factitanda (Advers. I p. 97) parum a recentioribus curari prae aliis locis demonstratur prima Tibulli elegia, ubi ne unum quidem versum esse transponendum equidem contendo, nec magis ex. gr. in Catulli c. LXIV vv. 38 sqq.

II. Soph. El. vv. 113 sqq. sic erunt constituendi:

αἳ τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτ',
ἔλθετ', ἀρήξατε, τίσασθε πατρὸς
φόνον ἡμετέρου,
τοῦ τὰς εὐνὰς ὑποκλεπτομένου . . .

b. Ibid. in vv. 148 et 152 *αἰὲν* (*αἰεὶ*) et *αἰαῖ* locum invicem mutent.

c. Soph. Phil. v. 782 scripserim: *ἀλλ' οὖν δέδοικα, μὴ ἀτελὴς εὐχὴ τύχῃ.*

d. Eurip. Iph. T. v. 836 propos.: *ὦ κρεῖσσον ἢ λόγοισιν εὐτυχοῖς ἐμοῦ | ψυχά·*

e. Eur. fragm. 172 emendav.: *μωρία δε καὶ σέβειν . . .*

f. Fragm. adesp. trag. 263 N. pro *παθεῖν* scripserim *μαθεῖν.*

g. Stat. Silv. I, 3, 42 prop.: Nox silet et nigro nutant iam culmina somno.

h. Cic. de orat. I, 14, 62 leg.: qui etiam eloquentia . . .

i. Ibid. I, 8, 32 verba 'vel' et 'esse' sunt removenda (coll. Tac. dial. c. 5).

k. Livius II, 9, 6 scrips.: veniebat in publicum, cum omni sumptu . . .

l. Aen. Tact. I, 6 prop.: *τοῦτο τὸ ἀθρόον ὑπάρχον ἀπ' ἀκροπόλεως . . .*

m. Caes. de b. civ. III, 38, 4 leg.: — cognitis hosti insidiis — unus fugit M. Opimius...

n. Theocr. Id. III, 27 codicum scriptura erit servanda, certe *αἴκα δὴ* sermo Theocrit. non admittit.

o. Catull. LXIV, 65 Mureti scriptura 'luctantis' est accipienda.

III. Sententia quam de primordiis comoediae Atticae protulit Wilamowitz — Möllend. in Hermae vol. IX non magis est probanda quam Mommseni (H. R.[6] I p. 224) de fabulis Atellanis.

IV. Cum Woelfflino plerique recentiorum de necessitudine quae inter tertiam Livii decadem et Polybium intercedat definienda errant.

V. Iam ante leges Licinias Sextias plebeii fieri poterant consules.

b. Patrum auctoritas referenda est ad comitia curiata.

VI. Cognatio, quam esse inter Taciti annales et Cassium Dionem negari non potest, ad Aufidium Bassum, communem fontem, revocanda est.

VII. Herodotum magis quam ipse commemorat scriptos fontes in usum suum vocasse demonstrari potest.

b. In universum de bellis Persicis Herodoto maior fides est habenda quam Diodoro, interdum autem Diodori narrationem praeferemus Ephorum secuti, qui Herodotum et Ctesiam contaminaverat.

VIII. *Τὸ Κυλώνειον ἄγος* Thucydidem (I, 126) rectius narrare quam Herodotum (V, 71) intellegetur, si respexerimus, unde hauserit Herod. hanc historiarum suarum partem.

b. Non recte cum aliis E. Curtius (H. Gr.[4] II p. 814 ann. 118) statuit ante Euclidem arch. Athenis omnino non fuisse *ἐπιμελητὴν τῆς κοινῆς προσόδου.*

IX. Litteras dialecti Messapiae mixtas esse Mommsenus (U. D. p. 48) non recte ponit.

X. Savelsbergii (Symb. phil. Bonn. II p. 505 sqq.) explanatio aoristt. qui sunt *ἔδωκα, ἔθηκα, ἧκα* ferri non potest.

b. Origo casuum ling. aric. ad loci significationem ipsam quidem revocari non potest, attamen ratio quaedam localis subest.

c. Faxo, faxim all. formae futuri exacti obsoletae sunt.

XI. Inter scriptores rerum ab Ottone I. gest. necessitudo non intercedit, quae non narratione earundem rerum ipsa sit orta.

b. Carolus Magnus non iuvitus est coronatus; nec tam difficulter Einhardi verbis iustus locus tribui potest.

XII. Plato singularum animarum immortalitatem docet.
